RB362565

Thomas Fisher
are Book Library

ERSITY OF TORONTO

Digitized by the Internet Archive
in 2023 with funding from
University of Toronto

https://archive.org/details/enchiridioncanon00vila_0

14621/
29773
GB3
1200—

ENCHIRIDION
CANONICO-MORALE
DE CONFESSARIO

Ad inhoneſta, & turpia ſolicitante: Nec non de Decretis, & Conſtitutionibus Pontificijs ad hoc nefarium crimen exterminandum emanatis.

CONCINNATUM

A P. Fr. HERMENEGILDO VILAPLANA, Sacræ Theologiæ Lectore, Sancti Officij Inquiſitionis Qualificatore, Collegij Sanctæ Crucis de Queretaro in Seraphica Minorum Provincia Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli de Michoacan Concionatore Apoſtolico, Seminarij Guadalupani Zacatecenſis, Patre; atque omnium Collegiorum de Propaganda, nec non prælaudatæ Provinciæ, generali Chroniſta.

EDITIO SECUNDA LOCUPLETIOR IN PAUCIS.

DEDICATUR

A. R. P. N. FR. EMMANUELI DE NAXERA,

Commiſſario Generali Ordinis Seraphici in hoc Novo Orbe.

Mexici, ex Typographiâ editioni Bibliothecæ Mexicanæ deſtinatà. Anno 1765.

ENCHIRIDION
CANONICO-MORALE
DE CONFESSARIO

Ad inhoneſta, & turpia ſollicitante: Nec non de Decretis, & Conſtitutionibus Pontificiis ad hoc nefarium crimen exterminandum emanatis.

CONCINNATUM

A P. Fr. HERMENEGILDO VILLAPLANA, *Sacræ Theologiæ Lectore, Sancti Officii Inquiſitionis Qualificatore, Collegii Sanctæ Crucis de Queretaro in Seraphica Minorum Provincia Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli de Michoacan Concionatore Apoſtolico, Seminarii Guadalupani Zacatecenſis Patre, atque omnium Collegiorum de Propaganda, nec non prælaudatæ Provinciæ, generali Chroniſta.*

EDITIO SECUNDA LOCUPLETIOR IN PAUCIS.

DEDICATUR

A. R. P. N. Fr. EMMANUELI DE NAXERA,

Commiſſario Generali Ordinis Seraphici in hoc Novo Orbe.

Mexici, ex Typographia editioni Bibliothecæ Mexicanæ deſtinata. Anno 1765.

✠

A. R. P. N. Fr. EMMANUELI DE NAXERA,

Lectori Jubilato, quondam in Curia Matritenſi Procuratori Generali, Provinciæ Seraphicæ Sancti Evangelij de Mexico Ex-Cuſtodi, S. Helenæ vulgo de la Florida Viſitatori, ac Patri, omníumque Sacri Ordinis Minorum hujus novi Orbis, & Inſularum adjacentium Commiſſario Generali, Patrique, &c.

ADESDUM ROGITO LIBENS HUIC OPELLÆ (A. R. & humaniſſime Pater) ut Studioſorum Opitulator, & cenſitor illius ſis Phoſphorus, ſimulterque ſis umbrifer. Nec ideo Author honoripeta, etſi nimiopore inhiam, quod præpotens nomen tuum hocce convenuſtet Opuſculum; quin tui gloriatio ex hac faſtigatione gliſcere valeat. Non enim eſt novum, nullam gloriolam ſperandam eſſe â gurguſtijs. At nec eſt minus ſcitum, non propterea Mæcenates decere Clientum clinámen abjicere. Idcirco, dum cogitarem de Patrono huic adoptando Libello, nec veritus fui, nec in labínam incidi ullam. Etſi enim ſciam quantum nobilitatis commendatio in rebus humanis præpolleat, non eam mihi pro deſideratæ Clientelæ argumento propoſui. Neque ex hoc incivilitas, noxa, aut incuria, quæ

me vituperent, obſcurent, vel diſplodant. Jam alias lepidè clariſſimam originem tuam vidimus calamo accuratiore exaratam. Igitur famam tuam perilluſtrem eſſe fulgôre natalium, nequidem mihi renùmerare licebit. Conticeo pariter excellentes tui mores, quos ab illuſtratis Parentibus una cum lacte ſuxiſti. Superfluum enim eſſet ramuſculos floreos laudare in plantula viridi. Neque aliquid concinam de lumine Sapientiæ tuæ clariſſimo, quo à prima juventute probitati vitæ adunato, omnibus fuiſti ſemper optime acceptus, propter tuum peracre judicium, raram facundiam, ſubtiliſſimam perſpicuitatem, dexteritatem mirabilem, & in rebus trutinandis ſolertiam. Nec convertam ſermonem ad manſuetudinem genij, ſobrietatem operum, amorem æquitatis, nobilitatem actionum, & claritatem virtutum, quibus omnes focillas. Ridiculum enim autumo, fructus bonos non videri in arbore bona. Silebo inſuper tuam prudentiam, charitatem, benignitatem, vigilantiam, & zelum; quia zelus obſervantiſſimus, vigilantia indefeſſa, benigñitas affabilis, charitas numquam in flata, & prudentia ſemper mitis majorem encomiaſtem poſtulant. Si ergo de ornamentis tuis (Pater ampliſſime) omnia reticeo; dum te ad Supremam Ordinis Prælaturam in hiſce Indis evectum, reor hunc campum anguſtum ad tuam promeritam gloriam, quiſnam ſcopus, qualisnamque finis, hunc tuæ clariſſimæ famæ dicandi libellum? Sed quid me metip-

ſum

ſum interrogo? Non una ſola cauſa me impellit. In primis beneficiorum abs te in me recordatio, cum mei abſentis, ignoti, & immeriti, ex quo ad te litteras dedi, exiguitatem proſequutus fuiſti gratioſe. Sed adhuc compellit ratio ponderis momentique majoris. Non ne tuis auſpicijs debitum, quod in omnibus his Provincijs Seraphicis ad ſcientias amor pergliſcat? Hujuſmodi præſtantiæ eo commendandæ ſunt magis, quo rarius inveniuntur hiſce temporibus, Ubi ſunt, qui in hominibus doctis fovendis, atque in eorum promovendis fortunis incumbant? Ideo forte tot ignavi, tot ociabundi, tot nebulones, tot turgidi, qui litterarum nitidiſſimam faciem fuco deformant, quaſi ſapientia non eſſet ars rectè beatèque vivendi. Notum proinde eſt illud noſtri Doctoris Seraphici, quod ſcientia ſine charitate inflat, ſed charitas ſine ſcientia errat. Non eo credo, immo nec ſuſpicor, hanc opellam fore apud te in aliquo pretio. Non enim ſum tanti. Studium leve eſt, atque induſtria leviſſima, alienas lucubrationes inquirere in unum congerere, & in Diſputationes, Quæſtiones, Caſusque ordinare, pauca addendo de proprijs. Exarida res profecto, â laſſitudine mentis jejuna, & â merito exanguis. Sed etſi factum non laudet, diligentiam commendat. Aliquid ſaltem adeptum erit, ſi in perdifficili materia ſolicitationis ad turpia, penes quam apud Authores tot compita, tot tricæ, tot jurgia, tot ſenticeta, aliquantulum aliqui illo juvari ſe ſentiant.

Sed

me vituperent, obſcurent, vel diſplodant. Jam alias lepidè clariſſimam originem tuam vidimus calamo accuratiore exaratam. Igitur famam tuam perilluſtrem eſſe fulgôre natalium, nequidem mihi renumerare licebit. Conticeo pariter excellentes tui mores, quos ab illuſtratis Parentibus una cum lacte ſuxiſti. Superfluum enim eſſet ramuſculos floreos laudare in plantula viridi. Neque aliquid concinam de lumine Sapientiæ tuæ clariſſimo, quo à prima juventute probitati vitæ adunato, omnibus fuiſti ſemper optime acceptus, propter tuum peracre judicium, raram facundiam, ſubtiliſſimam perſpicuitatem, dexteritatem mirabilem, & in rebus trutinandis ſolertiam. Nec convertam ſermonem ad manſuetudinem genij, ſobrietatem operum, amorem æquitatis, nobilitatem actionum, & claritatem virtutum, quibus omnes focillas. Ridiculum enim autumo, fructus bonos non videri in arbore bona. Silebo inſuper tuam prudentiam, charitatem, benignitatem, vigilantiam, & zelum; quia zelus obſervantiſſimus, vigilantia indefeſſa, benignitas affabilis, charitas numquam inflata, & prudentia ſemper mitis majorem encomiaſtem poſtulant. Si ergo de ornamentis tuis (Pater ampliſſime) omnia reticeo; dum te ad Supremam Ordinis Prælaturam in hiſce Indis evectum, reor hunc campum anguſtum ad tuam promeritam gloriam, quinam ſcopus, qualisnamque finis, hunc tuæ clariſſimæ famæ dicandi libellum? Sed quid me metipſum

ſum interrogo? Non una ſola cauſa me impellit. In primis beneficiorum abs te in me recordatio, cum mei abſentis, ignoti, & immeriti, ex quo ad te litteras dedi, exiguitatem proſequutus fuiſti gratioſe. Sed adhuc compellit ratio ponderis momentique majoris. Non ne tuis auſpicijs debitum, quod in omnibus his Provincijs Seraphicis ad ſcientias amor pergliſcat? Hujuſmodi præſtantiæ eo commendandæ ſunt magis, quo rarius inveniuntur hiſce temporibus, Ubi ſunt, qui in hominibus doctis fovendis, atque in eorum promovendis fortunis incumbant? Ideo forte tot ignavi, tot ociabundi, tot nebulones, tot turgidi, qui litteratum nitidiſſimam faciem fuco deformant, quaſi ſapientia non eſſet ars rectè beatèque vivendi. Notum proinde eſt illud noſtri Doctoris Seraphici, quod ſcientia ſine charitate inflat, ſed charitas ſine ſcientia errat. Non eo credo, immo nec ſuſpicor, hanc opellam fore apud te in aliquo pretio. Non enim ſum tanti. Studium leve eſt, atque induſtria leviſſima, alienas lucubrationes inquirere in unum congerere, & in Diſputationes, Quæſtiones, Caſusque ordinare, pauca addendo de proprijs. Exarida res profectò, â laſſitudine mentis jejuna, & â merito exanguis. Sed etſi factum non laudet, diligentiam commendat. Aliquid ſaltem adeptum erit, ſi in perdifficili materia ſolicitationis ad turpia, penes quam apud Authores tot compita, tot tricæ, tot jurgia, tot ſenticeta, aliquantulum aliqui illo juvari ſe ſentiant.

Sed

Sed quia ſi hoc qualicumque labore quicquam boni publicæ utilitati contulero, non meis lectionibus, ſed tuo patrocinio partum, fauſta ſint tibi debita. Altiſſimus te tuaque fortunet, teque incolumen ſervet ad Reipublicæ litterariæ ornamentum in Orbe Seraphico, & ut religioſis ſtudentium conatibus, ut aſſoles faveas. Sic orat.

D. O. M.

Devinctiſſimus filius, & humillimus Subditus.

Fr. Hermenegildus Vilaplana.

APPROBATIO

R. P. Fr. PAULI ANTONIJ PEREZ, LECTORIS JUBIlati, Notarij Apoſtolici approbati, Sanctiſſimæ Inquiſitionis Tribunalis Qualificatoris, Provinciæ hujus Sancti Evangelij Ex Diffinitoris, Archiepiſcopatus Examinatoris Synodalis, Harumque Provinciarum Novæ Hiſpaniæ pro Eleemoſinis Terræ Sanctæ Collectandis Vice Commiſſarij Generalis; nec non hujus Magni S. P. N. Mexicani Conventus ſemel, atque iterum, ac tandem nunc tertio Guardiani, &c.

Excmẽ. Princeps.

DUO mihi honores illa tua (fas ſit dicere) prodiga manus unico præcepto impendit: Dum alta tua dignatio ad manus meas pervenire præcipit librum (aureum mihi) cui titulus *Enchiridion Canonico-Morale de Confeſſario ad inhoneſta, & turpia ſolicitante: Nec non de decretis, & Conſtitutionibus Pontificijs ad hoc nefarium crimen exterminandum emanatis.* Opus apprime elaboratum ingenti cura, arte perpolita, ſedulisque lucubrationis R. (venerandique mihi) P. Fr. Hermenegildi á Vilaplana Incliti Valentini, Prædicatoris Apoſtolici, Strenuique Miſſionarij, Lectoris Sacræ Theologiæ, Sanctæ Inquiſitionis Mexiceæ Qualificatoris, Collegij exemplariſſimi Sanctiſſimæ Crucis de Queretaro Filij, & Diſcreti; Zacatenenſis de Domina noſtra Guadalupana vocati, Patris: Demumque pro continuanda Chronologia omnium de Propaganda Fide Miſſionarium Seraphicæ Familiæ Obſervantium, in hoc novo Indiarum Regno exiſtentium, Chroniſtæ.

Dupliciter mihi, iterum dico, decorare ſtudet ille tuus, ó Princeps, liberalis animus in unico præcepto: Nam iubes me librum legere, jubesque de illo judicium, & ſententiam, ut Cenſorem proferre: Et cum in tanti Operis Lectione utilitatem meam, commodumque magnum fatear; idcirco in ſecunda præcepti parte ad magnopere amplificatum honorem à tua Excellentiſſima dignatione promoveor. Ergo quid tua dignatio in Superioris Ordinis Sphœris non efficiet, ſi in humillimæ tenuitatis meta ſic adunare dignaris utilitatem, & honorem? Quapropter neſcio quas gratias pro dignatione tibi rependam, qui mihi hoc aureum Opus commiſſeris evolvendum.

Vidi librum, Excellentiſſime Domine, atque ſumma cum ſolertia legi, & quia in ipſius lectione, non minus delectamenti delibavi, quam doctrinæ, iterato, ipſum ſumma cum voluptate, menteque diſcuſſa perlegi. Amanti enim juxta mentem D. Greg. Hom. 25. in Evang. ſemel aſpexiſſe non ſufficit, ſemel videre non eſt ſatis: Quod etiam Gentilis Poeta lumine naturæ inſtructus, eleganter aſſuerit; Eney. 6.

Nec vidiſſe ſemel ſatis eſt, juvat uſque morari.

Sed quoniam in fronte libri expectabile nomen præclariſſimi Authoris laudes ipſi conciliat, dum Cenſoris munus vi præcepti V. Exciæ. obire ſuſpicio, compul-

pulſus ſum encommiaſtæ libenter gerere partes. Nec mirum, Excellentiſſime Princeps, quandoquidem reſpicio librum ſelectiſſimum hunc, & Perdoctum P. Vilaplana illum ſtrenue laborantem, in quo meæ attentioni proponitur, nedum utiliſſimum Opus laudum undequaque capax, verum, & Magiſter perſpicaciſſimus, encomijs, non vulgaribus dignus. Et ſane in quantum ad R. P. Fr. Hermenegildum ejus clariſſimum Authorem, & ad Opera ab ipſo antea elaborata præcipue pertinet, invenio adeo eſſe Virum litteris datum, lectioni, Scripturæ, & alijs Operibus Scholæ utiliſſimis ſic inclinatum, ut ipſe jure merito aplicari poſſit elogium illud pro Monacho orientali a Sulpicio traditum Dialog. 10. *Totus ſemper in lectione non die, nec nocte requieſcens, aut legis aliquid ſemper, aut ſcribis.* Certiſſimum, validum, & verum hac de occupatione fructuoſa teſtimonium perhibent Opera litteraria impreſſa tanti Magiſtri, per hunc novum Orbem (immo, & antiquum) diffuſa, quæ ſapienter clamitant in plateis omnibus, & ſuaviter homines vocant, trahuntque (ut alibi jam dixi) in ſui admirationem, benevolentiam, & amorem amicabilem.

Patet hoc luce clarius in mirabili Vita V. P. D. Martini à Sancto Cajetano ab ipſo perpulchre ordinata, & pro communi inſtructione prælo commiſſa: Manifeſtatur etiam in Hiſtoria perpolita de Imagine miraculoſa Sanctiſſimæ Virginis Mariæ, vulgo del Pueblito, etiam in lucem edita: Conſtat itidem in Opere famoſo, diebus iſtis noviter publicato, exemplariſſimæ Vitæ ultimatè completæ, & auctæ V. P. Fr. Antonij Margil à Jeſu, Seraphici Cœli Minorum Fratrum per illuſtris Atlantis; atque æqualiter, & fuſe ex alijs opellis, & novendialibus, tum Sancti Joannis de Capiſtrano, tum Beatiſſimæ Virginis Mariæ, plauſibiliter typis datis. Cæteroquin factis iſtis nondum ſatisfactus, nec hoc Enchiridio contentus, poſt ipſius editionem (opitulante Domino) adhuc videbimus aliud irrefragabile teſtimonium ſcientiæ, & ſapientiæ ſuæ, ut ipſe inſinuat in Prologo hujus Operis, & alibi ego.

Queis ſpecioſiſſimis laboribus, ſi jungatur, ut par eſt, Scholaſticæ occupationes in Aula; ſi agglomerentur, Confeſſiones, quæ ab ipſo R. P. in Queretanenſe Collegio excipiuntur; nec non quæ per ipſum met fervore charitatis ſuffultum, in domibus ſæcularibus pro infirmorum conſolatione, & juvamine peraguntur; ſi Conciones innumerabiles in quibus quotidie verſatur, jam de Sanctis, eorum virtutes admirabiles panegyrice promovendo jam per loca deſerta, invia, & in aquoſa ambulando, currendo, ſeu potius, veluti fœcunda nubes volando, ut peccatorum, & Indorum Infidelium animas, rore ſalutiferæ Doctrinæ irrigatas, ad Dominum Creatorem ſuum trahat: Jam denique quia ut Apoſtolicus Miſſionarius, & infatigabilis Dei Miniſter, ſemper omnibus Jeſum Chriſtum, & hunc Crucifixum, more Pauli invenitur ſine intermiſſione prædicando, nedum in Civitatibus magnis, verum in minimis oppidis, in vicis, & plateis, pro omnium reductione alte clamando, fraternali deſiderio peccatorum animas lucrandi: Si igitur, ut juſte ponderabam, omnibus iſtis factis, & religioſis exercitijs, adunentur ſuæ ſtrictiſſimæ Communitatis diaria, nocturna, atque perardua ſequela, & omnia alia adque ut Collegij Filius, & Diſcretus ex Officio debet concurrere, neſcio certocertius, quod tempus ad opus tantum ſufficiat; nec capio, quo robore, & ſpiritu adjutus attendere quæat ad negotia adeo diſſimbola, niſi credendo, ut certo credo, hominem eſſe ſic plenum in omni genere actionum, ut pro multis ipſe ſolus importet, omnes attingendo res, quaſi forent tantum una pro ut de celeberrimo Athanaſio ajebat eloquens Naciancenus, his verbis: *Quod diſciplinæ genus eſt, in quo verſatus non ſit, atque ita eximie verſatus, quaſi in eo ſolo elaboraſſet.*

Ad

Ad multa, & prægrandia ſine dubio ſe extendit univerſale ingenium hujus ſingularis Magiſtri, & ita faliciter, ut quaſi unum in multis, in cunctis rebus quamvis hæterogeneis, taliter operatur, prout ſi unam, & homogeneam materiam ſolummodo, præmanibus haberet. Scribit clare, prædicat expedite, laborat ordinate: Sicque omnia, quæ diſcretè intentat, perfectè concludit. Ob quod ipſi Joan. Ob. verſus attribuo ſequentes.

Qui ſcribenda facit, ſcribit ve legenda, beatus
Illé, beatior es tu, quod utrumque facis.
Digna legi ſcribis, facis, & digniſsima ſcribi:
Scripta probant doctum te tua, facta probum.

Hucuſque, Excmê. Domine, hucuſque dixi, egique jucunde de encommijs pro meritis debitis noſtro eruditiſſimo Authori, ex eis præcipue, quæ de ſcriptis, & perlucidis operibus ejus anteactis, glorioſe reſultant. Nunc autem de præſente libro (cedro ſtimabile) ad meum examen per Veſtræ Excellentiæ dignationem miſſo, aliquid, etſi perfunctorie, ob modeſtiam tanti Patris, & reverentiam meam ſuperadam, laudando potius, quam cenſurando opus hoc mirabile, & Authorem Reverendum illud componentem, (abſque præjudicio Decreti Regalis, & Supremi Concilij, non Indiarum, ſed Caſtellæ, de hac re dato ann. 1756. quod veneror) quia ex Oraculo Evangelico Joann. cap. 10. *Dignus eſt Operarius mercede ſua.*

Et ſane Opus hoc Sacerdotibus Altiſſimi, Confeſſarijs, & Miniſtris Omnipotentis Dei, utiliſſimum, & neceſſarium; quia in ipſo clariſſime, accurate, & ſolerter agitur accute, & ventilatur adæquate, non jam de criminibus expreſſe contentis in Bullis Sacris, & Conſtitutionibus, de quibus, propter eorum manifeſtam prohibitionem ambigendum non eſt; ſed de Quæſtionibus difficilimis, dubijs undequaque arduis, & caſibus ſumme intrincatis in exoſa materia ſolicitationis ad inhoneſta, & turpia, & peſſimæ complicitatis, paſſim deductis, vel deducendis ex antiquis Ordinationibus Summorum Pontificum, & Sanctæ Inquiſitionis Edictis, atque ex nova, laudabili, & orthodoxa Bulla confirmativa, & ampliativa Conſtitutionis SS. P. N. Gregorij XV emanata ſub titulo *Sacramentum Pœnitentiæ* á Beatiſſimo Patre, Dominoque noſtro Benedicto XIV. ſuper Confeſſarijs complices ſuos in horrendo peccato carnis abſolvere tentantibus.

Quantum ad hanc Conſtitutionem attinet typis ſcripta ſua dederunt in Hiſpania veteri R. P. Joannes Baptiſta de Murcia, & Dr. D. Vincentius Calatayud; ambo Valentiæ RR. Didacus Gonzalez Matthæo, & Joſeph Lopez del Redal; ambo ex Seraphica Burgenſi Provincia. R. Joannes Sanz ex Seraphica Provincia Cartaginenſi. R Benedictus Gil Bezerra, ex Provincia Seraphica Sancti Michaelis R. Gaſpar â S. Nicolao ex Auguſtiniana Familia. RR. PP. Salmanticenſes, in Appendice ad tract. VI. nec non Dr. Diaz, Dr. Azedo, & alij. Et in hoc noſtro Orbe, noviſſime perſpicaciter ex noſtris Religioſiſſimis Fratribus Diſcalceatis perilluſtris Provinciæ Sancti Didaci, R P. Lector Fr. Michael Hidalgo. Verum enim vero, cum argumentum ejus ſumme obſtruſum, captuique per difficile ſit, etſi iſti, & alij ſuper præfatam Conſtitutionem pulchre ſcripſerunt, locum ſemper habebit ſententia S. Leonis Serm. 11. de Paſſ. Chriſt. D. *Numquam deficere poteſt quid dicatur, dum numquam poteſt eſſe ſatis quod dicitur.*

Per hunc ſpacioſum campum ſpinis plenum, diſcrete ambulat noſter pijſſimus Author, qui caute procedens in ſuis aſſertionibus ſtabiliendis, ut ratio dictat, quærit viribus, & poſſe ſecuritatem conſcientiæ ſuæ, & Confeſſarium

pulchrum librum ſuum legentium. Ob quod reſolutiones proficuæ, quæ in ipſo ad communem inſtructionem continentur, ſolide firmat, & ampliſſime fundat, nedum in validiſſimis rationibus, & authoritate Doctorum, de hac re tractantium, verumetiam in Sacris Conſtitutionibus, Apoſtolicis Bullis, Decretis Conciliarijs, Edictis Sanctæ Inquiſitionis, & in Doctrinis SS. P. N. Benedicti XIV. in ſua celeberrima Diœceſana Synodo, quibus ſalabriter firmat, & confirmat opus ſuum: Non quia obligare intendit ad ſuam omnimodam ſequelam, cum ſciat ſolum eſſe opinative dictum, omne quod ſincere tangit, ſed ut abſque formidine, & ambiguitate admittatur, quod liber imbibit, & doctrinaliter continet.

Quare, viſis Diſputationibus ſubtiliter exaratis, Quæſtionibus dexterrime exagitatis, Caſibus effictis poſſibilius energice plantatis, & ordinate propoſitis ad pleniorem intelligentiam materiæ, Deciſionibus adeo ſingularibus, Reſolutionibus ſecuriſſimis, & Solutionibus clariſſime, & bene applicatis; nullum (liceat hoc proferre venia, & ſalva omnium claſicorum Authorum pace) nullum ſane inveni melioris methodi dirigendi Confeſſarios expoſitos, & exponendos in hoc genere, quam noſtrum. Quare verbis utendo D. Petri Dam in Epiſt. 6. lib. 5. ipſi irreverenter dico: *Quæ ex ore tuo profluunt, aut calamo exarantur, talia ſunt, ut eo genere nec excogitari prudentius, aut diſputari accutius, aut certius diffiniri, ſtatuique poſſit.*

Abſit ergo longe, Excmê. Princeps, longe abſit ab hoc ſelectiſſimo opere cenſoria virga, juxta placitum minoris Plinij lib. 4. Epiſtol. 2. & á me abſit longiſſime munus cenſurandi Authorem adeo dignum encommijs maximis, & loco cenſuræ ipſius, & tanti Operis, veniat laus, honor, & gloria. Dicantque omnes cum V. P. Kempis in cap. 20. Matth. Serm. 20. quod, & ego ad clauſulandam hanc meam approbationem, jucunde dico *Benedicta ergo manus ſcribentis, & benedicti digiti in tali Opere occupati.* Opus igitur præſens orthodoxæ fidei conſonum eſt, chriſtianis moribus conforme, juribus Regalibus non diſſonum; & omne, quod in eo conſpicio, granum purum eſt excuſſa palea. Propterquod dignum exiſtimo, ut prælo, & cordibus mandetur. Sic ſentio (*ſalvo &c.*) in hoc magno S. P. N. Franciſci Mexicano Conventu, hodie 19. Julij ann. Domini 1763.

Fr. Paulus Antonius Perez.

EXcellentiſſimus D. D. Joachimus de Monſerrat, & Cruillas, Creſpi de Valdaura, Sans de la Lloſa, Alfonſo, & Calatayud, Marchio de Cruillas, Æques magnæ Crucis, Clavicularius, Commedator de Burriana, & Sueca in Ordine Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monteſa, & S. Georgij de Alfama, Vices Generalis gerens in Exercitibus Regijs, Pro-Rex, Gubernator, atque Ductor Generalis hujus Novi Orbis, &c. Conceſſit licentiam, ut excudatur hic Liber, viſa approbatione R. P. Fr. Pauli Antonij Perez, Lectoris Jubilati, &c. ut conſtat ex Decreto dato die 21. Junij 1763.

CEN-

CENSURA

R. P. Fr. JOSEPH GARCIA, CONCIONATORIS APOSTOlici, hujus S. Ferdinandi Mexicani Seminarij de Propaganda Fide Ex Guardiani, hujuſque Metropolitanæ Diœceſeos Examitoris Synodalis, nec non Sanctæ Inquiſitionis Integerrimi, Venerandique Tribunalis Qualificatoris.

LIbrum, cui titluus: *Enchiridion Canonico-Morale de Confeſſario ad inhoneſta, & turpia ſolicitante: Nec non de Decretis, & Conſtitutionibus Pontificijs ad hoc nefarium crimen exterminandum emanatis*, à R. P Fr. Hermenegildo Vilaplana, Apoſtolico Concionatore, Sacræ Theologiæ Lectore, Apoſtolici Collegij B. Mariæ Virginis Guadalupanæ de Zacatecas Patre, Primarijque, & antiquioris Seminarij de Propaganda Fide, Sanctiſſimæ Crucis Queretarenſis in Seraphica Provincia SS. Appoſtolorum Petri, & Pauli de Michoacam Scriptore Chronologo, & Sancti Officij Inquiſitionis Qualificare, magno labore, ac Solerti cura concinnatum, & á plurimis plurimum diu deſideratum, & expectatum; juxta mandatum D. D. Joſeph Bezerra Moreno, in Regio Mexicano Senatu cauſarum Patroni, in Mexicana Pontificia, Regalique ſimul Academia olim Conciliarij, Sacrorumque Canonum Cathedræ Veſpertini Moderatoris; nunc vero Decreti Profeſſoris: in Regia Immaculatæ Guadalupenſis Virginis Collegiata quondam jure merito Doctorali Præbenda præditi, Canonici nunc Dignitate in Metropolitana Eccleſia inſigniti, totiusque Archiepiſcopatus Proviſſoris, & Generalis Vicarij, &c. libenter, pariterque gratanter legi, & accurate pervolvi, non torvo critici ſupercilio cenſoris, *neque enim fas erat* (loquar cum Caſiodoro lib. 9. Epiſtol. 11.) *ut quem tantus Author, familia tanta produxerat, ſententia noſtra in eo corrigendum aliquid inveniret*, ſed ſtudio, & aviditate maxima á tanto Magiſtro diſcendi. Et ut verum ingenue fatear Omnes dubieiatis tenebræ, quæ in præjacta materia mentem meam anxiam nimis, & quaſi ancipitem, & obſcuratam tenebant, hujus luminis fulgore rutilante, quaſi umbra tranſierunt, & diſparuerunt.

Enchiridion pro ſua humilitate, & modeſtia vocat eximius Author, opus ſic diminuens, & mundi gloriam fugiens, ſed quo magis ipſam declinare conatur, magis ipſa perſequitur: *Fugiendo gloriam, gloriam merebatur, quæ virtutem quaſi umbra ſequitur, & appetitores ſuos deſerens, appetit contemptores*, ſcribit Hieronymus ad Paulum. Idemque in Epitaphio ad Heliodorum: *Eruditionis gloriam declinando, eruditiſſimus habebatur.* Enchiridion, inquam, vocat, quod eſt juxta Ambroſ. Calepin. exiguus quivis libellus, ita dictus, quod ad manus ſemper haberi debeat; ſed ego librum grandem appellare non dubitabo. Non ſolum, quia Sapientiſſimus noſter Author ita ſubtiliter, & graviter in eo locutus eſt, *ut quæcumque diceret, magna fierent, & ea, quæ locutus eſt, quomodocumque diceret, parva non fierent*; ut de Platone notavit magnus parens Auguſtinus lib. 3. contra Academ. ſed quia multa quidem, & magna continet. Et quo minori mole, eo præciſior, & major. Hinc Plato in Prothagora ſcribit: *Antiquorum ſapientiam nihil aliud eſſe, quam breviloquium quoddam: Idque eſſe viri abſolute ſapientis; paucis, videlicet, multa complecti.* Et Pithagoras ápud Stobæum Serm. 33. *Ne multis verbis pauca comprehendas, ſed paucis multa.* Sed hoc, quod deficile nimis, & quaſi impoſſibile viſum eſt Poetæ, cum dixit:

Haud facile eſſe ajunt complecti plurima paucis,

fœlici auſpicio aſſecutus eſt noſter Author, complectens in hoc Enchiridio, ſeu exiguo libello quidquid in tantis, & tam magnis voluminibus in prælibata materie uſque modo dixerunt alij: Sed, & alijs omnibus clarius, pulchrius, & melius.

Quid ni immoror, ut librum dicam medullatum, cum illum videam tam concinne, tam ingenioſe, & tam pulchre ex aliorum omnium medulla compilatum, & enucleatum? Florilegium item merito, & melius quidem appellabo, *colligentem quaſi in unam coronam* (ut in ſimili dicebat olim Caſiodorus ex Seneca Epiſt. 65.) *germen floridum, quod per librorum campos paſsim fuerat ante diſperſum.* In hoc igitur aureo, & nedum satis laudato libello exiguo labore, facilique negotio invenient ſcire ſitientes omni ſemota confuſione, & moleſtia, quidquid in hac ardua nimis, ac perdifcili materia poſſunt deſiderare. Doctrinam, nempe, ſolidam, puram, claram, methodicam, & perſpectam veritatem: Ad omniumque occurrentium facilimam, ſimulque tutam caſuum expeditionem (nec nimis arctando, nec nimis relaxando) magnam, utilitatem. Et ut uno dicam verbo: Granum purum excuſa palea, ſed non ſine magno Authoris ſtudio ac labore enucleatum. Perpetes igitur ei rependant miniſtri pœnitentiæ grates, & hac inventa prætioſa margarita, *non ideo vilis, quia exigua* (ut ad Epiſcopum Amadeum ſcribit Paulinus) *ſed ideo magis prætioſa*; vadant, & vedant omnia ſua, & comparent eam. Interea tamen ei dicam ego, quod Paulino Hieronymus: *Magnum habes ingenium, & infinitam ſermonis ſuppellectilem; & pure loqueris, & facile.* Vel proprius, quod Simacho ipſius ingenij demiratus Auſonius: *Quis iſta affectet ſingula, ut tu imples omnia? Quid enim aliud eſt, quam ex omni bonorum artium ingenio collecta perfectio?* Collectio perfectiſſima ex omni ingenio eſt Enchiridion iſtud.

Opus proinde egregium, in quo nihil cenſura dignum, nihil non dignum laudibus. In hac me (minima licet, & imparia valde) proſilere compellunt encomia libelli, ſententiarum eligendarum ſecuritas, & gravitas; rationum non vulgarium firmitas, & ſubtilitas; in Summorum Pontificum Sanctionibus, noviſſimisque Diplomatibus, atque Decretis ſolidiſſime nixa principia: & ſuper hæc omnia ſuccincta brevitas, & mirabilis claritas: Indicia clariſſima conſumatæ authoris peritiæ, & operis undequaque perfecti, & omnimodis abſoluti, ut de illo non immerito dicere valeam, quod de ſimili Anaſtatius Germonius lib. 3. de Sacror immunit: *Quid enim in illo tractatu deſiderari poteſt? Brevis quidem eſt, ſed quo nihil copioſius, nihil doctius, nihil gravius præſtantius nihil; cui nec addi quidquam, nec minui poſſe videtur. Opus enim perfectum, abſolutumque*; ait Plinius lib. 5. cap. 1. & lib. 7. Epiſt. 27. *Non tam explendeſcit lima, quam deteritur, & nimia cura deterit magis, quam emendat.*

Nec dicas: Aliqui caſus ab alijs authoribus de hac materia expenſi, & examinati in hoc opuſculo deſiderantur: Non eſt itaque adeo perfectum, cum dicti Caſus poſint ei ſuperaddi. Ne, inquam, hoc dicas; quia etſi aliquos caſus pro expreſo, & explicito non contineat, implicite tamen continet, & virtualiter. Si enim acutiſſima ratiocinia ſubtilitatem, & profunditatem maximam redundantia, & perſpicuæ doctrinæ hujus admodum prætioſi libelli ſolerter conſiderentur, & circunſpecte perpendantur; non tantum ad exquiſitam, ſimulque facilem praxim, & expeditionem in frequentioribus ab authoribus exagitatis caſibus diſcutiendis, ſed & in extraordinarijs, & magis difficilibus diſolvendis, apperte manuducunt.

O vere non jam magnum, ſed maximum Enchiridion, non quidem quantitate molis, ſed qualitate virtutis! In quo omnia, tum clare propoſita, tum ſolide reſoluta, & adeo caute enodata ſunt, ut maximum planè æſtimationis

pon-

pondus in ſe contineant, & per hoc expectationi de tanto Viro Univerſim conceptæ plene fuerit ſatisfactum: In eo ſiquidem neque ſtrictioribus, neque laxioribus adhæret mordicus opinamentis; ſed quas æqua ponderatas lance pro ſui magno acumine ingenij, majori rationum pondere libratas, atque Apoſtolicis Conſtitutionibus pro hac diſcernenda, & regulanda materia ſpecialiter emanatis, (queis ſe ſe libenter ſubmittere atque obſequi cupit ſimulque tenetur) conformiores agnoſcit, conſequenterque probabiliores deprehendit ſententias, & â probatiſſimis authoribus ſelectas, has complectitur. Scriptor egregius; non tamen ſilendo probabiles. Diplomata enim, & Conſtitutiones Summorum Pontificum, tam Gregorij XV. *Univerſi Dominici gregis curam;* quam Benedicti XIV. *Sacramentum Pœnitentiæ* incipientis adeò profunde penetravit, abſoluteque calluit, ut ipſorum abeuntium ſpiritum ebibiſſe abs dubio videatur. Si enim redivivi ipſimet Legislatores ſupremi mentem ſuam indicarent, nec aliam, nec aliter fuiſſe, dicturos crederem, niſi quam, & quomodo eam explicat, & exponit inclytus noſter Author. Hinc optime ei quadrat, quod cuidam inſigni Juris conſulto dicebat olim Artemidorus: *Accute penetras, noviter interpretaris, & ingenioſa elucidatione exorans.* Et non minus, quod in ſimili dixit alteri aliter.

Quam bene Pontificium pandis Decreta duorum!
Quam noviter ſentis! Quam bene cuncta probas!

Et nihilominus in hoc maximi ponderis arduiſſimoque negotio utrinque pericula maxima, manumque chaos conſiderans, ita caute ambulat, & cum tanta circunſpectione ſe gerit, ut aliqua dubi, quia utrobique periculum grande, vel ut ipſe ait, ſpinas, & tribulos ex qualibet parte pullulare dignoſcit, pulchre, ſimulque prudenter irreſoluta, relinquat. Et ut cautos inſimul reddat. Confeſſarios, ſæpe eos admonent, ut in ſimilibus non cito decidant, facileque reſolvant, ſed libros, peritioresque Viros prius atente conſulant, & cum magna circunſpectione procedant: Ne hinc deferre conſulentes, ſententiam in re tanti momenti, & cum alterius maximo præjudicio præcipitent: Aut illinc diſuadentes, ſcelera horrendæ atrocitatis, peſſimæ abominationis, ac ſacrilegij pleniſſima in magnam Eccleſiæ, animarumque perniciem foveant, cum impunita relinquant.

Procul igitur ab hoc optimo libello abſit cenſoria Virga: ſub exigua enim mole magnos, & deſiderabiles theſauros ſapientiæ, & ſcientiæ profert. Nihil non tutum, nihil non utile continet, nihil, inquam, cenſurabile, laudabile totum. Hinc potius erat hic digne, ſimulque opportune authoris eximij elogijs, atque enco nijs tantis per inſiſtendum; ſed & conſultius mihi videtur abſtinendum. Jam quia in ore meo laus, quaſi propria, vileſceret: *Laudet alienus.* Jam & maxime, quia major eſt omni laude, nec pro dignis tanti Viri præconijs encomiaſtes ſufficiens ſum ego: *Præſtantiſsima enim Viri laus eſt, ſi ejus virtus major eſſe demonſtretur, quam laudando facultas aſſequi poſsit.* Sic de Magno Thaumaturgo dicebat olim Niſenus.

Unam tantum ab authore mi chariſſimo, & venerando petam, & hanc requiram, ut talentum, cœlitus ei traditum non abſcondat, ſed in alijs edendis operibus ad communem utilitatem prodat; & cum copioſas in eum Sapientia ſuderit opes, eas cum pauperibus miſericorditer dividat, ut ipſius abundantia indigentium penuriam ſuppleat, & quod ſine fictione didicit, ſinè invidia communicet, & honeſtatem illius non abſcondat: Nemo enim lucernam accendit, & in abſcondito ponit, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt: *Sapientia abſconſa, & theſaurus inviſus;* ait Eccleſiaſticus cap. 20. ℣. 12. *Quæ utilitas*

litas in utriſque? Hoc igitur unum ab eo enixe peto, & inſtantius rogarem, ſi zelum, quo exæſtuat animarum, & charitatem, qua flagrat, & qua, ut alter Paulus urgetur, perſpectam non haberem. *Diu te rogarem;* dicebat Magnus Maximo Auguſtinus Hieronymo, hoc ipſum eum rogans: *Diu te rogarem, niſi hoc ſoleret eſſe indicium minus præſumentis de charitate.* Tom. 2. Epiſt. 9.

Et ut paucis ediſſeram, quid de opuſculo ſentiam: Nihil à Fide orthodoxa diſonum, nihil bonis moribus adverſum, Regijsve pragmaticis ſanctionibus contrarium jure aſſerendum judicio. Immo nedum Confeſſarijs omnibus utiliſſimum, ſed, & neceſſariſsimum cenſeo. Adeoque non ſolum juris publici, ut per prælum fiat, ut ſic ad Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtrorum manus velox percurrat, dignisſimum judico; ſed, & dignum ſane: *Quod aureis apicibus deſcribatur;* quod non tam merito de Plutarchi ſcriptis dicebat quondam Caniſius lib. 2. cap. 14. Et pro chronide authori eximio cum Seneca lib. 10. dicam: *Ede quam plurimum, quam celerrime ede, ut tuo nomini celebritas, noſtris temporibus claritas, & ſtudioſis omnibus pariatur utilitas.* Sic ſentio (*ſalvo in omnibus meliori judicio*) In hoc Apoſtolico Mexicano Seminario Collegio D. Ferdinando dicato die 9. Menſis Jullij Anni Domini 1763.

Fr. Joſeph Garcia.

PErilluſtris D. D. Joſeph Bezerra Moreno, in Regio Mexicano Senatu Cauſarum Patronus, in Mexicana Pontificia, & Regali Academia olim Conſiliarius, Sacrorum Canonum Cathedræ Veſpertinæ Moderator, atque Decreti Profeſſor, in Regia Immaculatæ Guadalupenſis Virginis Collegiata prius Canonicus Doctoralis, nunc vero Canonicus hujus Eccleſiæ Metropolitanæ, totiuſque Archiepiſcopatus Proviſor, & Vicarius Generalis, &c. hujus Libri editionem permiſſit, viſa approbatione R. P. Fr. Joſephi Garcia, Ex Guardiani Collegij D. Ferdinandi, &c. ut conſtat ex Decreto rubricato die 5. July 1763.

JV-

JUDICIUM

R. P. Fr. FELICIS DE CASTRO, LECTORIS JUBILATI,

Qualificatoris Sancti Officij, in Regia ac Pontificia Mexicana Academia Doctoris Subtilis Cathedræ Moderatoris, ac in Collegio Seraphici Doctoris D. Bonaventuræ, vulgo Santiago de Tlatelolco, hujus Almæ Provinciæ Sancti Evangelij Regentis Studiorum.

EX mandato, & commiſſione R. A. P. N. Fr. Emmanuelis de Naxera, Lectoris Jubilati, S. Helenæ Floritenſis Provinciæ Patris, aliarumque omnium Ordinis Minorum in hac Nova Hiſpania Digniſſimi Commiſſarij Generalis, accuratè perlegi, altaque meditatione perpendi librum, cui titulus: *Enchiridion Canonico-Morale de Confeſſario ad inhoneſta, & turpia ſolicitante: Nec non de Decretis, & Conſtitutionibus Pontificijs ad hoc nefarium crimen exterminandum emanatis*, fœliciter elaboratum, brevique, ſed docto calamo ſcriptum a R. P. Fr. Hermenegildo Vilaplana, Sacræ Theologiæ Lectore, Sanctæ Inquiſitionis Qualificatore, Collegij S. Crucis Queretarenſis Alumno, atque Guadalupani Zacatecenſis Patre, quem, ut verum fatear, inoffenſo decurri pede, nihilque in eo deprehendere potui, quod non Authoris ſapientiam, & eruditionem quam maximam redoleat, nihil quod orthodoxæ Fidei dogmatibus, Apoſtolicis Conſtitutionibus, bonis ve moribus ſit ullatenus adverſum, nihil denique, quod Confeſſarijs omnibus, illis præſertim, qui in opidis quàm pluribus hujus Americæ degentes, nec libros habent, nec Viros doctos, quos ſuper caſus hac de re non unquam occurrentes conſulant, utiliſſimum non ſit, ac ſummopere neceſſarium.

Enim vero, quæ Hermenegildus noſter inter aſſiduos labores Apoſtolicarum Excurſionum, quæ inter excipiendarum Confeſſionum, evangelizandorum hominum fidelium, & infidelium, aliarumque quamplurium Apoſtolici miniſterij excercitationum graviſſimas curas, quibus non ſine ingenti animarum lucro pluribus ab hinc annis totus incumbit, longa experientia, indefeſſo ſtudio, ac continua ſelectiorum Doctorum evolutione didicerat, & comparaverat, in Scholiſque noſtris domeſticis Religioſis auditoribus Minoritis prælegerat, hæc nunc ſcholaſtica methodo, mira claritate, claraque ſubtilitate in unum opus congeſſit, in quo ſi ſeveras aliquas ſententias quiſquam notaverit, Authoris genio minimè tribuat, ſed materijs ipſis, quas elegit diſcutiendas, iſtæ enim illæ ſunt in quibus non nulli contra vim inevitabilis conſequentiæ laxarunt habenas. Non itaque improbat opiniones benignas, quæ firmo, ſolidoque fundamento fulciuntur, imo libenti amplectitur animo, ab illis abhorret, quæ aut levi, aut ſophiſtica, aut æquivoca ratione nituntur, aut certis principijs omnino repugnant. Hinc ut per viam tutam incedat, á graviſſimis Doctoribus Theologis, & Canoniſtis, veteribus, & recentioribus, quemadmodum Plato à Pytagora, Ariſtoles á Platone, Theophraſtus ab Ariſtotele, eruditiora, ſelectiora, probatioraque mutuavit placita, quæ præſenti operi inſpergens, quæſtiones implicatiſſimas, & caſus fere omnes, qui de hac re Theologica per difficili contingere poſſunt, ita digerit, diſſolvit, explanat, & elucidat, ut ſtudioſis lectoribus pro alijs quoque rarioribus ac difficilioribus ſolidè reſolvendis principia ſubminiſtreret; ac lucem non modicam impertiatur. Adeoque digniſſimum cenſeo, cui Enchiridion iſtud, ut publici faciat juris, licentia concedatur. Mexici in hoc Seraphici Doctoris D. Bonaventuræ Minorum Collegio die 30. Junij anni 1763.

Fr. Felix de Caſtro.

Fr.

Fr. EMMANUEL DE NAXERA, ORDINIS FRATRUM Minorum Regularis Obſervantiæ S. P. N S. Franciſci, Lector Jubilatus, iſtius Sancti Evangelij Eparchiæ Ex-Cuſtos, Sanctæ Helenæ Floritenſis Prov. Pater, ac tandem cunctarum hujus Novæ Hiſpaniæ, Inſularum Adjacentium, & Philipinarum Commiſſarius Generalis, & Pater, Servusque, &c. R. P. Fr. Hermenegildo Vilaplana, noſtri Collegij Sanctæ Crucis de Queretaro Filio, Miſſionario Apoſtolico, Sacræ Theologiæ Lectori, & S. Officij Qualificatori. Salutem in Domino ſempiternam.

CUM noverimus, te Librum quemdam, cui titulus eſt: *Enchiridion Canonico Morale de Confeſſario ad inhoneſta, & turpia ſolicitante, nec non de Decretis, & Conſtitutionibus Pontificijs ad hoc nefarium crimen exterminandum emanatis*, compoſitum habere, utque in lucem ad communem omnium utilitatem prodeat, jam paratum exiſtere, in idque noſtram licentiam, & facultatem deſideres poſtquam juxta Sacri Conſilij Tridentini decreta, inſpiciendum illum, atque examinandum pro noſtri muneris, & Officij ratione, Viro Religioſo Theologo commiſſimus, â quo etiam magna cum laude approbationem accepit præſentium tenore, manu, & nomine meo ſubſcriptarum, majori noſtri Officij ſigillo munitarum,atque per noſtrum Pro-Secretarium Generalem roboratarum petitam tibi impertimur facultatem, ſervatis tamen in reliquo omnibus de jure ſervandis. Datis in hoc noſtro Mexicano Conventu, die trigiſima Junij, anni Domini milleſimi ſeptingenteſimi ſexageſimi tertij.

Fr. Emmanuel de Naxera.
Commiſſ. Grâlis.

D. M. S. P. A. R.
Fr. Nicolaus Tellez Xiron.
Pro-Secret. Grâlis.

Reg. Tit. Colleg. fol. 107.

Dr.

D. ET Mag. D. GREGORII ANTONII PEREZ CANCIO, & Vega, pro moribus edocendis in Pontificio Seminario Primarij Theologia, in Regali Univerſitate Veſpertinæ Exedræ Theologalis proprij Moderatoris, Archiepiſcopatus Synodalis, Academiarum Theologiæ in allato Seminario Regentis primarij, antea Rhetorum Magiſtri, & primariæ Theologiæ Univerſitatis Cathedræ ad tempus Moderatoris, pro bonis Univerſitatis Judicis deputati, ac demum in Paræcia Sanctæ Crucis animarum Cuſtodis, opuſculi hujuſce exaratum judicium.

OPus Morale circa difficilem, utilemque materiam de ſolicitatione á R. P. Fr. Hermenegildo de Vilaplana, Lectore Sacræ Theologiæ, Sancti Tribunalis Fidei Qualificatore, Sanctæ Crucis Cœnobij Queretarenſis Generali Scriptore, ac Miſſionario Apoſtolico, nunc in lucem edendum, meo fauſto ſydere vidi, ac multifariam, multiſque modis perlegi. Siquidem ſingulari perſpicacite æque Reverendus, ac Sapiens Hermenegildus Ethicæ arcana perſcrutatur eximie, ut nihil pulchrius, brevius, perfacilius valeat excogitari. Vellem certe, ſi mihi centum linguæ forent, non tantum Reverendiſſimo huic Doctori grates impendere jucundiſſime, quam omnes, ac cunctos candidatos admonere quaquaverſum, ne opus hoc aureum obliviſcantur tantillum; hic enim maximum conſequentur in parvo: hic miranda ſolertia, tam Veterum, quam Neotericorum placita diſtingere poterunt, prætioſumque á vili ſeparare ſine dubio; hic ſubtilitate energica, candore, tam animi, quam linguæ in propatulo obtinebunt, & quæ fugienda cunctis, & quæ ab omnibus oportet eſſe ſequenda.

Ex his omnibus moralis doctrinæ faſciculos colligere poterunt, modo brevi ſtylo digeſtos, modo prolixiori ſtudio coordinatos juxta peritiſſimorum Doctorum mentes excogitatos, vel juxta Canonicas Sanctiones ſtabilitos aperte. Quod ut aſſequeretur Doctor hic Hermenegildus dilectiſſimus, quoad potuit ſtylum methodumque facilem, materiamque fructuoſam ſtrenue congeſſit, ut tanto efficacius in animos inſ ueret veritatem, & doctrinam, quanto familiarius orbi proponeretur litterario. Itaque meo videri:

> Omne tulit punctum commiſcens utile dulci
> Ipſius, ut melius lectio teſtis erit:
> Jam opus exegit, quod nec Jovis ira, nec ignis.
> Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas.

Unde opuſculum juremerito ob publicum emolumentum typis exiſtimo dandum, & cum libuerit (ſi ita ijs videbitur, ad quos ſpectare tenetur) ut reimprimatur cordicitus, & annuo, & efficaciter rogo ipſum Reverendiſſimum Patrem Hermenegildum interea ne litterariam Rempublicam hujuſmodi utiliſſimis elucubrationibus locupletare deſiſtat, intenſis hortor proclivis; idemque pro officio quantum fas eſt, omni animi alacritate polliceor cooperari Unde in ſignum gratitudinis, & operis monumentum has breviſſimas litteras omni gaudio conſcripſi in hac Sanctæ Crucis Paræcia Mexicana poſtridie Iduus Januarias, anno Domini 1764.

Dr. & Mag. D. Gregorius Antonius Perez Cancio.

¶¶¶ EPI-

EPISTOLA RESPONSIVA

A. R. P. N. Fr. MICHAELIS SEDEÑO DE FIGUEROA, Sacræ Theologiæ Lectoris Jubilati, atque in Pontificia Univerſitate Puriſſimæ Conceptionis Civitatis Zelayenſi, quondam Sacrorum Canonum Inſtitutoris, Sancti Officij Inquiſitionis Qualificatoris, hujus Provinciæ SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli de Michoacam Ex Diffinitoris, Miniſtri Provincialis, nec non prædictæ Univerſitatis Rectoris.

GRatum valdè, & nimis jucundum fuit mihi legere, amiciſſime Pater, hoc tuum quaque ex parte commendabile opuſculum, elegantia, atque eruditione undique plenum. Perperam dixi opuſculum, quia magnum ſpiritu, licet parvum corpore: maximum in virtute, etſi minimum in quantitate. Hoc enim tuum numquam ſatis laudandum opus, meo groſſo obtutui omnibus opitulatur, ſiquidem Confeſſarios deviat à tam flagitioſo facinore patrando, cum deformitatem ſolicitationis detegit, dumque pœnas, quibus taliter criminoſi puniri merentur, ante oculos aperit, ipſoſque Confeſſarios inſtruccionem Pœnitentium circa obligationem Sacro Fidei Tribunali denunciandi docet, tamque ſtupendum Sacramentum Sanctè, & purè eſſe tractandum inſtruit, & demum viam illuminat, qua proximi conſulatur famæ, dum in aliquibus non eſſe Confeſſarios indicandos oſtendit. In hoc ergo negotio, prudens, & in primis, Author ſtrenue, nec nimis amplum, nec nimis preſum te geris, ſed medium inter rigoriſmum, & latitudinem coerces. Validis rationibus, ſolidiſque argumentis ſenſus, atque opiniones firmas, momenta contraria ſolis perſpicuitate liquefacis, & demum omnibus lucem, & doctrinam paras, ut innocuos vindicent, & reos tanti delicti damnent.

Tua ſemper erudita penna in hoc tractatu non vernis utitur floſculis, Divi Iſidori inſectando veſtigia, qui ait: *Non verba, ſed veritas eſt amanda.* (D. Iſidori de ſum. bono) Verba namquè tantum Magiſtros ad puriendas aures extruunt, & veritas ad animarum profectum tendit. Hunc enim ſcopum ante lumina poſſides, ob idque, ſi me mea non fallit ſententia, uberrimus produces fructus, ſiquidem formoſum verborum, tibi multùm familiare, deſtituis ſcalprum, ſtilumque perpolitum, Chriſologi imitando dictamen, qui oportunè inquit: *Verborum floſculos non quæramus, ille, qui maturitati fructum quærit, deſpicit amæna camporum, violæ, roſæ lilia, narciſus grati flores ſed gratior panis.* (D. Petrus Chriſolog. Serm. 18.)

Me herclé res ita, eſt, ut ſterilem fundum colant, qui matura perſcrutantur frumenta dum arbores flores emittunt, ut experientia teſtatur, & ore Sylveriæ dicam: *Cum fructus apparent, flores diſparent, fructus enim florum interitus e[illegible].* (Sylveira tom. 1. in Apocalip. cap. 2. quæſt. 13. num. 103) Tanta mihi, Vir eruditiſſime, in tui operis lectione fuit dulcis libido, ut præmagnitudine gaudij nequaquam contineri valerem. Itaque tuum aliquibus ex meis amicis Enchyridion feci manifeſtum, ut tam doctum relegendo Manuale, ad nodum delectarentur, quod quidem ego jucundé perlegi, & aliqui amici, & Patres hujus Eparchiæ legerunt, taleque lætanti animo judicavere, & ſana doctrina excultum cenſuere.

Solum mihi reſtat te innixé rogare, ut hujus novi Orbis ditiones dites,

the-

theſauro Sapientiæ tuæ aurifodinam aperiens practicarum quæſtionum ad ipſas expectantium; quod, ut facias, amor in te meus jure poſtulat. Vale, Vir religioſiſſime, meque tui amantiſſimum amare perge. In hoc S. Jacobi Queretarenſi Conventus, die decimaquarta Menſis Decembris, anni milleſiſſimi ſeptingentiſſimi ſexageſſimi tertij.

Tuus addictiſſimus ex corde, & Frater diligentiſſimus.

Fr. Michael Sedeño de Figueroa.

Cujuſdam Religioſiſſimi Admodumque Rev. Patris, & Magiſtri, è Societate Jeſu Authoris amiciſſimi, in operis laudem.

ELEGIA.

AUthor, qui vivas præbes mortalibus undas,
  Flumina purpureo mixta Cruore Dei,
Flumina, quæ ex quino dimanant Vulnere Chriſti,
  Flumina, queis homines noxia facta lavant:
Eloquij fluvio fluvium, fluvijque miniſtras
  Lymphas, & monſtras, qua ratione fluant.
Ah! Superi, parvi quanta eſt Sapientia Libri!
  Corpus ab eſt: Partem Corporis eſſe putes;
Et tamen ex illo nemo non doctior ibit,
  Norma quidem cunctis, *Villa* que *Plana* patet:
Diſcere ut indoctus; doctus dediſcere poſſit
  Hic male quæ didicit; quo caret ille ferat:
Diſcite queis pœnis ſoleat mulctare Tribunal
  Quod fidei ſervat jura ſacrata Dei,
Crimina dum teleras, Ah! Ne diſcrimina ſurgant;
  Ne ve putet quiſquam ſolicitare nefas.
Lubrica materies; ſed qua ſine turbine poſſis
  Exire, oſtendit jam *Via Plana* tibi:
Erramus, denſa velut in caligine noctis,
  Nec terimus mediam, qua decet ire viam:
Huc ades, atque animo, docto, quæ tradita Libro
  Perlege non ſegnis, lectaque mente tene.

PROLOGUS.

CAndide, & benevole Lector. Cum per hunc novum orbem pluſquam octoginta Miſſiones, Deo auxiliante, confecerim, pauca hæc rudimenta, fere prout jacent, & ſicut mihi per occupationes licuit, paulatim ab Authoribus intercepi ut ignorantiam meam colluſtrare valerent. Cum autem legiſſent illa aliqui ex amicis meis, inſtatus ab ipſis fui, jam verbatim, jam per Epiſtolas, ut recoligerem ea in ſeries, atque typis illa mandarem. Neque deſiderium eorum ſedatum manſit, etſi, non ſemel reſpondiſſem ejs, quod hæc materia peſſimæ ſolicitationis ad turpia adeo per difficilis, nodoſa, & ſcabroſiſſima eſt, ut licet hæc pauca non ſine magno ſtudio congererem, ita tamen de tenuitate mea diffido, ut ea trutinando, mihi metipſi non ſatisfaciam. Sed cum his non obſtantibus, aliqui eorum poſtulatum repopoſcerent. Opuſculum hoc, brevi tempore, & paucis additis, decuſavi, enixeque rogavi aliquos Viros doctiſſimos, & clariſſimos in omni ſcientiarum genere, ut ſi quid dignum lima deprehenderent linturarent, vaſarent, atque comburerent. Quid vero iſti præſtantiſſimi Orbis litterarij Magiſtri de Opella hac judicaverint, habes in reſponſionibus pro dignatione ſua ad me datis, quasque Sapientiſſimorum Approbantium judicio, in gratitudinis ornamentum adnectere placuit. Ne reticebo, quod præter alios, conſului etiam meritiſſimum Doctorem, & Magiſtrum Dominum D. Joannem Ignatium de la Rocha, in Regia, ac Pontificia Mexicana Minerva primariæ Philoſophiæ Cathedræ Moderatorem emeritum, Sanctiſſimæ Inquiſitionis Qualificatorem, primariæ pariter Mexicanæ Pareſiæ animarum vigilantiſſimum Cuſtodem, Metropolitanæ ejuſdem Eccleſiæ Canonicum Lectoralem, Synodalem Examinatorem, nec non pro conficienda Beatificationis cauſa Servi Dei V. P. Fr. Antonij Margil â Jeſu, authoritate ordinaria, Conjudicem Theologum nominatum, Virumque in omnibus magnum, prudencia, atque ſapientia ornatiſſimum. Nec no-

novitatem apud prudentes redoleat, quod ità pedetentim procederem, etſi vias tritas perambulem, cum paſſim melioris notæ reperiamus Scriptores, qui aliorum judicio, & cenſura quidquid ipſi cenſent, vana ſpreta humana ſuperbia, ſubmittunt, & dirimenda reſervant. At, prælaudati Magiſtri proculdubio habent pro fundamento ſcientiæ cum noſtro Doctore Seraphico in Sermone ſecundo de uno Sancto Doctore, nullam ſcripturam, etſi vilem contemnere, vel forte ipſis, Libellus hic non eſt viſus prorſus innutilis.

Ex his autumavi, quod aliquibus ſervire poterit ut crimen ſolicitationis abhorreant, ejusque omnia pericula vitent. Alijs lumen præſtare valebit ut pœnitentes ſolicitatos de obligatione denunciandi moneant, ut ſic puritati Sacramento pœnitentiæ debitæ faveant. Alijs demum ut famam proximi, ut par eſt, obſervent, quando dictum, vel factum Confeſſarij levibus ſuſpicatur indicijs in Bullis comprehenſum eſſe. Etſi aliquando viſus fuerit alicui abundantiori doctrina carere ad omnes caſus ultimate decidendos, certo certius ex hoc defectu majus ſubſidium Lectoribus, ut ad Authores, quos cito, vel ad alios recurrant, vel doctiores interrogent, & reſolutionem eligant, quæ ſecundum Deum ipſis magis arriſerit.

Nolo tamen te fugiat, pauca in hac ſecunda æditione addita eſſe. Verum, neque benignum nimis me appelles, neque nimis ſtrictum me nuncupes, quia aliquando opiniones benignas ſequor, aliquando eligo ſeveriores. Neque enim ego inter doctos ſedeo, neque cum Doctoribus ambulo, ſicque ample tibi per me licet placitum meum dimittere: Modo non ſis immemor, quod opus quodcumque ſit, & tempori debet eſſe conveniens, & utile loco.

Aliquando autem irreſolutus maneo, non ignorans non eſſe idem, caſum aliquem ſpeculative, & in abſtracto reſolvere, ac ipſum concretive, & in praxi decidere. Sæpe enim, circumſtantia aliqua, quæ alias videtur minima, notabiliter, auget, vel minuit probabilitatem, ut nemo eſt qui ignoret,

eſtque

eſtque non ſemel pre oculis habendum: Sicut etiam, *quod Eccleſiaſtica Tribunalia miſericordiam æque, ac juſtitiam fovent, atque id præcipuæ ſpectant. ut delinquentes ad bonam frugem convertantur*, ut loquitur in hac materia Sanctiſſimus Benedictus XIV. in Synodo Diœceſana lib. 6. cap. 11. num. 12.

Ingenue vero teſtor, me nec in jota, nec in apice à mente Summorum Pontificum, aut à Decretis Sanctiſſimæ Inquiſitionis velle deficere. Quare ſi quid correctione dignum advertis, me ſemper animo humili reperies correctioni paratum. Alium vero Libellum fere concluſum habeo, & proculdubio concluſus eſſet, niſi ob defectum ſalutis, per plures menſes â familiaritate Librum, non ſine doloris morſu, avulſus eſſem. Tu autem, Lector Amice, errata in præſenti clementer lima: Per multum itaque Author á Typis, & Excuſſoribus diſtat. In Orthographia, punctuatione, atque diviſione nominum, & Verborum, innumera inveniens. Quæ autem ſenſum invergunt, vel invergere valent, corrige ut ſequitur.

OBSERVATIO.

SAnctiſſimus Benedictus XIV. in Conſtitutione *Sacramentum Pœnitentiæ*, de qua latius infra, ſtatuit, ut denuncietur Confeſſarius ſolicitans ad inhoneſta, & turpia: 1. Etſi Sacerdos ſit, qui juriſdictione ab abſolvendum valide caret. 2. Etiamſi ſolicitatio inter Confeſſarium, & pœnitentem mutua ſit: 3. Sive pœnitens ſolicitationi conſentiat, ſive conſenſum minime præſtet: 4. Etiamſi longum tempus poſt ipſam ſolicitationem jam efluxerit: 5. Etiamſi ſolicitatio non peragatur à Confeſſario pro ſe ipſo, ſed pro alia perſona. Sic conſtat in ipſa Conſtitutione, in cujus vi, oppoſitæ opiniones, quæ Confeſſario favebant, hodie ſubverſæ ſunt.

Quia tamen aliqui ex modernis, quos legi, prædictas opiniones damnatas eſſe pronunciant in virtute hujus Sanctionis, ſimiliter, & ego, non ſemel, hac eadem expreſſione, &

nota

nota, utar, & loquar in hac opella, dum de illis Diſſertatio ſe offerat. Verum monitum te volo, hoc non eſſe intelligendum de damnatione proprie, abſolute, & rigoroſe tali, ita ut dictæ opiniones alicui expreſſæ damnationi ſubjiciantur, ſeu aliqua nota infamiæ inurantur, aut ſententia diffinitiva judicentur cum aliqua cenſura, ut legenti attente textum patebit, & obſervarunt etiam jam magis, jam minus clare, alij ex modernis. Quapropter, ſtricte, proprie, & rigoroſe loquendo, videtur, quod memoratæ opiniones ſolum ſunt prohibitæ, non vero damnatæ; ſeu eatenus dumtaxat damnatæ, quatenus interdicta eſt praxis earum.

Non piget apponere exemplum. Summus Pontifex Clemens VIII. ann. 1601. prohibuit abſolutionem á caſibus non ſolunt clare, ſed etiam dubie in Bulla Cœnæ contentis; quo Decreto ſtante, impracticabilis erat opinio illorum, qui generaliter aſſerunt, quod reſervatio non ſe extendit ad caſus dubios. Verum non propterea dici deberet, quod relata opiniodamnata manſit in vi Decreti Clementis proprie abſolute, & ſtricte loquendo, ſed ſolum improprie, quatenus ejus praxis interdicta fuit; ac per conſequens ſolum in ſenſu compoſito Decreti, improbabilis manſit, quoad caſus relatos. Attamen, dum poſtea idem Clemens hoc Decretum per aliud moderavit ann. 1602. ut referunt Gobat tract. 7. num. 357. La-Croix lib. 6. part. 2. num. 1604. Verricellus tract. 8. quæſt. 16. Poteſtas tom. 1. part. 4. cap. 5. num. 3313. & Ferraris verbo *reſervatio* num. 41. omittens allis particulas, *clare vel dubie contentis*, tunc prædicta opinio ad ſuam probabilitatem reſtituta fuit, atque probabilis manſit.

Unde fluit primo, quod Pontifex per primum Decretum, præfatam opinionem definiendam non ſuſcepit, quia definitio Pontificia proprie talis revocari non poteſt, ſicut prohibitio, aut præceptum: Neque Pontifex definiendo in materia fidei loquitur ſicut precipiendo in materia morum; de quo præter La-Croix in Bibliotheca erronea num. 18. & alios, le-

gi

gi poteſt Quæſtio Prodroma P. Viva in Theſes damnatas, ſignanter in num. 2. Fluit etiam 2. quod probabilitas non ita eſt modus, vel proprietas opinionis, quod non ſit amiſſibilis, & etiam recuperabilis, ut in relato exemplo manifeſtum videtur. Id ipſum ex parte confirmari poteſt in Conſtitutione 91. Sixti V. incipiente, *Sanctum, & ſalutare*, contra male promotos ann. 1589. quam poſtea moderaverit Clemens VIII. per aliam quæ incipit, *Romanum Pontificem*, ann. 1595.

Verum confirmet hoc ipſe Sanctiſſimus Benedictus XIV. qui in Conſtitutione, *Non ambigimus*, ann. 1741. Epiſcopis, eorumque Delegatis præſcripſit, ut in diebus Jejunij, nemini veſcendi carnibus veniam tribuerent, niſi ſub conditione unicæ comeſtionis in die, & quod licitæ, & interdictæ epulæ promiſcue non apponatur. Hinc dubitarunt aliqui an in vi hujus Conſtitutionis definita eſſet opinio de diviſibilitate jejunij, nec non ipſius obligatio, etiam reſpectu illorum, qui ab abſtinentiam â carnibus non abſtringuntur. Conſultus autem Pontifex ab Ilmó. D. D. Andrea Mayoral, Archiepiſcopo Valentino, reſpondit per aliam Conſtitutionem quæ incipit: *Cognovimus*, ann. 1742. his verbis: *Reſpondemus igitur poſtulato tuo, nos in ijsdem litteris definiendum non ſuſcepiſſe, an qui Eccleſiaſtica authoritate ab jejunio excuſarentur, non ſolum vetitis cibis uti ſed juſſe pariter veſpertinæ abſtinentiæ fines egredi queant. Præcipimus autem Epiſcopis, eorumque Delegatis, ut nemini veſcendi carnibus, alijsque cibis vetitis veniam tribuant, niſi, ſub gravi imperata ſimul unicæ comeſtionis norma. Ita univerſale iſtud præceptum pro tua ſpectantiſſima vigilantia Gregi tuo indicendum jubeto.* Ubi ut vides, quæſtionem in abſtracto definire non intendit Pontifex, ſed ſolum præſcribere legem diſpenſationis concedendæ.

Sic pariter relatæ opiniones non videntur proprie damnatæ, ſed tantum prohibitæ; immo nec directe prohibite, ſed indirectæ, quatenus oppoſitum earum in Conſtitutione præcipitur. Ex his infertur, & eſt valde notandum, quod ubicumque

que hæc Conſtitutio non obligaret, vel ob defectum publicationis, vel quia uſu non eſſet recepta, vel aliam ob cauſam, ſi aliqua ex memoratis opinionibus eſſet vere probabilis, aut ſi in aliquo caſu augeretur ejus probabilitas ad terminos proprios probabilitatis, propter aliquam gravem neceſſitatem, vel veram impotentiam, vel ob aliud motivum, tunc opinio prohibita, & interdicta redderetur practice probabilis. Idem contingeret ſi præceptum hujus Conſtitutionis revocaretur, aut moderaretur â Sede Apoſtolica, & ubicumque, ſemper, & quando hoc præceptum non obligaret. Conditionate loquor, non abſolute. Videatur noſter Sanz in expoſitione hujus Conſtitutionis quæſt. 3. num. 22. addens in fine: *Caſus hinc oriundos bene conſidera.*

ERRATA CORRIGENDA.

PAgina 2. num. denique lin. 4. *docuerit*, lege, docuerint.
Pag. 5. num. unde lin. 5. *percipiendo*, lege, præcipiendo.
Ibidem lin. 13. *moderaverit*, lege moderavit.
Ibidem num. verum lin. 6. *apponatur*, lege, apponantur.
Ibidem *dubitatur*, lege, dubitarunt.
Ibidem lin. 9. *abſtringuntur*, lege, adſtringuntur.
Pag. 6. lin. 1. *eijsdem*, lege, ejsdem.
Pag. 8. lin. 2. *ſuerit*, lege fuerit. Et lin. 5. *fui*, lege, fuit. Et lin. 14. *Senato*, lege, Senatu.
Pag. 15. num. 5. lin. 1. *finges*, lege, fingens.
Pag. 17. num. 1. lin. 15. *conjugit*, lege, conjungit.
Pag. 21. num. 3. lin. 12. *caſum*, lege, caſuum.
Pag. 24. num. 4. lin. 13. *obſervat*, lege, obſervet.
Ibidem num. 5. lin. 7. *interroges*, lege, interroget.
Pag. 33. lin. 2. *tali*, lege, tale.
Pag. 34. num. 10 lin. 3. *Epiſcum*, lege, Epiſcopum.
Ibidem num. 10. lin. 6. *liviter*, lege, leviter.
Ibidem lin. ultim. *ſolitavit*, lege, ſolicitaverit.
Pag. 38. num. 19. lin. 1. *per*, lege, præ.
Pag. 40. num. 5. lin. 10. *manu*, lege, manum.
Ibidem lin. 13. *dirigarut*, lege, dirigatur.
Ibidem lin. 14. *contingit*, lege, contigit.
Ibidem in fin. pag. *reſpondet*, lege, reſpondent.
Pag. 42. in Caſu lin. 3. *quis*, lege, quid.
Pag. 43. num. 4. lin. 18. *fuiſte*, lege, fuiſti.
Pag. 44. num. 2 lin. 4. *ſubiri*, lege, ſubire.
Pag. 48. num. 2. lin. 3. *quomniam*, lege, quoniam.
Ibidem num. 2. lin. 5. *Graſſis*, lege Graffis.
Pag. 51. lin. 1. *conſenties*, lege, conſentiens.
Ibidem lin. 9. *falem*, lege, talem.
Pag. 53. num. 15. lin. 8. *perjudicialibus*, lege, præjudicialibus.
Ibidem lin. 10. *debea*, lege, debeat.

Pag. 55.

Pag. 55. lin. 2. *eum*, lege, eam. Et in lin. 4. *Poteſt*, lege, poſt Poteſtas.
Ibidem in caſu 8. num. 2. lin. 1. *reſpondet*, lege, reſpondent.
Pag. 56. num. 3. lin. 3. *cogitationem*, lege, cognitionem.
Ibidem num. 4. lin. ult. *perſiſti*, lege, perſiſtit.
Ibidem num. 5. lin. 4. *parvam*, lege, pravam.
Pag. 58. num. 6. lin. 11. *fit*, lege, ſit.
Pag. 62. in caſu 11. lin. 2. *fæmina*, lege, fœminæ.
Pag. 66. num. 5. lin. 16. *cenventioni*, lege, conventioni.
Pag. 68. num. 8. lin. 6. *quilibit*, lege, quilibet.
Pag. 69. num. 2. lin. 19. *cogitaverint*, lege, cogitaverit.
Pag. 72. num. 2. lin. 3. *valendum*, lege, velandum.
Pag. 87. num. 1. lin. 5. *audire*, lege, audiri.
Pag. 91. num. 6. lin. 2. *loquens*, lege, loquentis.
Pag. 92. lin. 2. *Paulus*, lege, Palaus.
Pag. 93. num. 1. lin. 3. *Confeſsionis*, lege, Confeſſiones.
Pag. 100. num. 1. lin. 12. *eligere*, lege, elegere.
Pag. 102. num. 2. lin. 1. *Inquiſitoris*, lege, Inquiſitores.
Pag. 103. num. 4. lin. 18. *defficillima*, lege, difficillima.
Pag. 117. num. 5. lin. 8. *pæna*, lege, pœnæ.
Pag. 120. num. 1. lin. 4. *diſtriſte*, lege, diſtricte.
Pag. 127. num. 1. lin. 14. *fine*, lege, ſine.
Pag. 138. num. 14. lin. 4. *turbulentis*, lege, turbulentijs.
Pag. 140. num. 16. lin. 4. *oppoſiti*, lege, oppoſitum.
Pag. 147. num. 8. lin. 8. *perſuadere*, lege, perſuaderet.
Pag. 152. num. 3. lin. 11. poſt illa verba *ſecure operetur* ommiſſa fuit ſequens linea: *Debet conſulere virum verſatum in præſenti materia.* Quia, &c.
Pag. 154. in titulo quæſtionis, *comparatione*, lege, comparitione.
Pag. 161. num. 5. lin. 10. *judicium*, lege, judicum.
Pag. 163. num. 1. lin. 13. *Sacramento*, lege, Sacramentum.
Pag. 165. num. 6. lin. 9. *ſtante*, lege, ſtando.
Ibidem num. 7. lin. 3. *Tridendini*, lege, Tridentini.
Pag. 169. lin. 1. *denunciadus*, lege, denunciatus.

Pag. 173.

Pag. 173. num. 4. lin. 4. *illo*, lege, alio.
Ibidem lin. 6. *complicitate*, adde, actuali.
Pag. 177. lin. 1. *commodo*, lege, commodè.
Pag. 185. num. 4. lin. 1. *Conſtitutionibus*, lege, Conſtitutionis.
Ibidem num. 5. lin. 2. *potes*, lege, poteſt.
Pag. 187. num. 8. lin. 6. *quod omnis*, lege, quod non omnis.
Pag. 188. num. 5. lin. 7. *illo*, lege, alio.
Pag. 193. lin. 1. *eſtet*, lege, eſſet.
Ibidem num. 7. lin. 3. *ibedem*, lege, ibidem.
Ibidem num. 7. lin. 4. *ſcerio*, lege, ſerio.
Pag. 195. num. 4. lin. 2. *calumniatur*, lege, calumniator.
Pag. 197. in titulo quæſt. lin. 4. *punire*, lege, puniri.
Ibidem num. 1. lin. 3. *evinire*, lege, evenire.
Pag. 201. num. 10. lin. 13. *eumd.* lege, eundem.
Ibidem pag. & num. lin. 14. *delictu*, lege, delictum.
Pag. 204. num. 2. lin. 7. *conciliarium*, lege, conſiliarium.
Pag. 205. num. 3. lin. 4. *heæ*, lege, eæ.
Pag. 206. num. 4. lin. 9. *juri*, lege, jure.
Ibidem num. 8. lin. 1. *obſtanti*, lege, obſtante.

Hæc ſunt, Lector benevole, que ob Authoris abſentiam â Typis, in hac ſecunda editione irrepſerunt; immo, & plura alia, quæ benignitas tua clementer corriget. Nota tamen ſequens.

Quod numerus paginarum â 104. tranſit ad 113.

AR-

JHS.

ARGUMENTUM PROŒMIANS.

CUM CRIMEN SOLICITATIONIS GRAVISSIMUM ſacrilegium ſit, ob injuriam horrendam, quæ Sacramento Pœnitentiæ irrogatur, & Eccleſiæ Catholicæ pernicioſsimum, propter ingentiſsima damna, quæ fidelibus affert, prodierunt olim Decreta, & Conſtitutiones Pauli IV. Pauli V. Pij IV. & Clementis VIII. ad illud eliminandum; delinquentibus, quamquam aliter, ſupplicia dictantes.

Poſtea vero Gregorius XV. in Bulla *Universi dominici Gregis*, ann. 1622. decrevit, declaravit, & juſsit, quod omnes Confeſſarij, qui pœnitentes, quæcumque perſonæ ille ſint, ad inhoneſta, ſive inter ſe, ſive cum alijs quomodolibet perpetranda, ſive in actu Sacramentalis Confeſsionis, ſive ante, vel poſt immediate, ſeu occaſione, vel prætextu Confeſsionis hujuſmodi etiam ipſa Confeſsione non ſecuta, ſive extra occaſionem Confeſsionis in Confeſsionario, aut in loco quocumque, ubi Confeſsiones Sacramentales audiuntur, ſeu ad Confeſsionem audiendam electo, ſimulantes ibidem Confeſsiones audire, ſolicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerint, in Officio Sanctæ Inquiſitionis ſeveriſsime puniantur.

De pœnis autem, quibus hujusmodi Confeſſarij mulctari debent, ſic proſequitur Sanctiſsimus Paſtor, & Legiſlator Urbis, & Orbis. Et quos in aliquo ex hujusmodi nefarijs exceſsibus culpabiles repererint (Domini Inquiſitores) in eos pro criminum qualitate, & circumſtantijs, ſuſpenſionis ab executione Ordinis, privationis beneficiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis activæ, & paſsivæ, ſi Regulares fuerint, exilij, damnationis ad Triremes, & Carceres etiam in perpetuum, abſque ulla ſpe gratiæ, aliaſque

que pœnas decernant; eosque, ſi pro delicti enormitate graviores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione, Curiæ Seculari puniendos tradant.

Denique mandat omnibus Confeſſarijs, ut ſuos pœnitentes, quos noverint fuiſſe ab alijs, ut ſupra ſolicitatos, moneant de obligatione denunciandi ſolicitantes; etſi hoc Officium prætermiſſerint, vel pœnitentes docuerit, non teneri ad denunciandum, tunc legem fert Dominis Inquiſitoribus, ut illos pro modo culpæ punire non negligant.

Deinde anno 1741. prodijt Conſtitutio Sanctiſsimi in Chriſto Patris Benedicti XIV. quæ incipit *Sacramentum Pœnitentiæ*, in qua confirmat, & ampliat Decreta, & Conſtitutiones Sanctiſsimorum Prædeceſſorum ſuorum, & reos ſolicitationis declarat omnes Sacerdotes, tam Seculares, quam Regulares, qui aliquem Pœnitentem, quæcumque perſona ille ſit, vel in actu Sacramentalis Confeſsionis, vel ante, vel immediate poſt Confeſsionem, vel occaſione, aut prætextu Confeſſionis, vel etiam extra occaſionem Confeſsionis in Confeſsionario, ſive in alio loco ad Confeſsiones audiendas deſtinato, aut electo, cum ſimulatione audiendi ibidem Confeſsionem, ad inhoneſta, & turpia, ſolicitare, vel provocare, ſive verbis, ſive ſignis, ſive nutibus, ſive tactu, ſive per ſcripturam, aut tunc, aut poſt legendam, tentaverit, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos, ſermones, vel tractatus, temerario auſu habuerint. Inſuper proſcribens aliquas propoſitiones, quæ ante ſuam Conſtitutionem, ab aliquibus judicabantur probabiles, proſequitur definiens denunciandum eſſe Sacerdotem ſolicitantem ut ſupra, etiamſi Sacerdos ſit, qui juriſdictione ad abſolutionem valide impertiendam careat, ſicut, & etiam, ſi ſolicitatio inter Confeſſarium, & pœnitentem mutua fuerit, ſive ſolicitationi, pœnitens conſenſerit, ſive conſenſum minime præſtiterit, vel etiamſi longum tempus poſt ipſam ſolicitationem jam effluxerit, aut caſu, quo ſolicitatio à Confeſſario, non pro ſe ipſo, ſed pro alia perſona peracta fuerit.

Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui odio,

odio, vel ira, vel alia cauſa commoti, innoxios Sacerdotes apud Eccleſiaſticos judices falſo de crimine ſollicitationis inſimulant, ut hoc deteſtabile facinus, metu magnitudinis pœnæ coerceatur, decernit, quod quæcumque perſona, quæ execrabili hujusmodi flagitio ſe inquinaverit, vel per ſe ipſam innocentes Confeſſarios impie calumniando, vel ſceleſte procurando, ut id ab alijs fiat, peccatum reſervatum ſuæ Sanctitati, vel ejus Succeſſoribus incurrat, â quo, à nullo alio abſolvi poteſt, niſi in articulo mortis.

Rurſus, magnopere cupiens Sanctitatem Sacramenti Pœnitentiæ, prohibet, ne aliquis Confeſſarius extra caſum extreme neceſsitatis, nimirum, in ipſius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confeſſarij munus obire poſsit, Confeſsionem Sacramentalem perſonæ complicis in peccato turpi, atque inhoneſto, contra ſextum Decalogi præceptum commiſſo, excipere audeat. Adeo quidem, ut abſolutio, ſi quam impertierit, nulla atque irrita omnino ſit, tanquam impertita á Sacerdote, qui juriſdictione ad abſolvendum valide privatus exiſtit. Etſi aliquis Confeſſarius ſecus facere auſus fuerit, decernit, quod excommunicationem ſibi, & ejus Succeſſoribus reſervatam, incurrat. Simulque declarat,quod neque in vim cujuſcumque Jubilei, aut Bullæ Cruciatæ, aut alterius cujuslibet indulti Confeſsionem dicti complicis hujusmodi valeat excipere.

Poſtremo cum conſcius fuerit idem Sanctiſsimus Benedictus XIV. aliquas dubitationes ortas fuiſſe, ex dicta Conſtitutione, prodijt ejus Breve incipiens *Apoſtolici muneris*, ann. 1745. in quo, ea ex parte, quæ mortis articulum reſpicit, declarat, quod ſi caſus urgentis qualitas, & circumſtantiæ, quæ vitari non poſſunt, tales fuerint, ut vocari non poſſet alius Sacerdos ad audiendam Confeſsionem perſonæ complicis, conſtitutæ in articulo mortis, ſine aliqua gravi infamia aut ſcandalo, tunc non prohiberi ſocio criminis Sacerdoti abſolutionem pœnitentis ab eo crimine impertiri. Quibus, velut per tranſennam notatis, ſit jam.

OBSERVATIO PRÆVIA.

SAnctiſsimus Benedictus XIV. in memorata Conſtitutione *Sacramentum Pœnitentiæ*, de qua latius Diſp. 5. ſtatuit, ut denuncietur, Confeſſarius ſolicitans ad inhoneſta, & turpia: 1. Etſi Sacerdos ſit, qui juriſdictione ad abſolvendum valide caret: 2. Etiamſi ſolicitatio inter Confeſſarium, & pœnitentem mutua ſit: 3. Sive pœnitens ſolicitationi conſentiat, ſive conſenſum minime præſtet: 4. Etiamſi longum tempus poſt ipſam ſolicitationem jam efluxerit: 5. Etiamſi ſolicitatio non peragatur à Confeſſario pro ſe ipſo, ſed pro alia perſona. Sic conſtat in ipſa Conſtitutione, in cujus vi, oppoſitæ opiniones, quæ Confeſſario favebant, hodie ſubverſæ ſunt.

Quia tamen aliqui ex modernis, quos legi prædictas opiniones damnatas eſſe pronunciant in virtute hujus Sanctionis, ſimiliter, & ego non ſemel, hac eadem expreſsione, & nota, utar, & loquar in hac opella, dum de illis Diſſertatio ſe offerat. Verum monitum te volo, hoc non eſſe intelligendum de damnatione proprie, abſolute, & rigoroſe tali, ita ut dictæ opiniones alicui expreſſæ damnationi ſubjiciantur, ſeu aliqua nota infamiæ inurantur, aut ſententia deffinitiva judicentur cum aliqua cenſura, ut legenti attente textum patebit, & obſervarunt etiam jam magis, jam minus clare, alij ex modernis. Quapropter, ſtricte, proprie, & rigoroſe loquendo, videtur, quod memoratæ opiniones ſolum ſunt prohibitæ, non vero damnatæ; ſeu eatenus dumtaxat damnatæ, quatenus interdicta eſt praxis earum.

Non piget apponere exemplum. Summus Pontifex Clemens VIII. ann. 1601. prohibuit abſolutionem â caſibus non ſolum clare, ſed etiam dubie in Bulla Cœnæ contentis; quo Decreto ſtante, impracticabilis erat opinio illorum, qui generaliter aſſerunt, quod reſervatio non ſe extendit ad caſus dubios. Verum non propterea dici deberet, quod relata opinio damnata manſit in vi Decreti Clementis proprie, abſolute, & ſtricte loquendo, ſed ſolum improprie, quatenus ejus praxis

in-

inter dicta fuit; ac per conſequens ſolum in ſenſu compoſito Decreti, improbabilis manſit, quoad caſus relatos. Attamen, dum poſtea idem Clemens hoc Decretum per aliud moderavit ann. 1602. ut referunt Gobat tract. 7. num. 357. La Croix lib. 6. part. 2. num. 1604: Verricellus tract. 8. quæſt. 16. Poteſtas tom. 1. part. 4 cap. 5. num. 3313. & Ferraris verbo *reſervatio*, num. 41. omittens illas particulas, *clare, vel dubie contentis*, tunc prædicta opinio ad ſuam probabilitatem reſtituta fuit, atque probabilis manſit.

Unde fluit primo, quod Pontifex per primum Decretum, præfatam opinionem definiendam non ſuſcepit, quia definitio Pontificia proprie talis revocari non poteſt, ſicut prohibitio, aut præceptum: Neque Pontifex definiendo in materia fidei loquitur ſicut percipiendo in materia morum; de quo præter La Croix in Bibliotheca erronea num. 18. & alios, legi poteſt Quæſtio Prodroma P. Viva in Theſes damnatas, ſignanter in num. 2. Fluit etiam 2. quod probabilitas non ita eſt modus, vel proprietas opinionis, quod non ſit amiſsibilis, & etiam recuperabilis, ut in relato exemplo manifeſtum videtur. Id ipſum ex parte confirmari poteſt in Conſtitutione 91. Sixti V. incipiente, *Sanctum, & ſalutare*, contra male promotos ann. 1589. quam poſtea moderaverit Clemens VIII. per aliam quæ incipit, *Romanum Pontificem*, ann. 1595.

Verum confirmet hoc ipſe Sanctiſsimus Benedictus XIV. qui in Conſtitutione, *Non ambigimus*, ann. 1741. Epiſcopis, eorumque Delegatis præſcripſit, ut in diebus Jejunij, nemini veſcendi carnibus veniam tribuerent, niſi ſub conditione unicæ comeſtionis in die, & quod licitæ, & interdictæ epulæ promiſcue non apponatur. Hinc dubitatur aliqui, an in vi hujus Conſtitutionis definita eſſet opinio de diviſibilitate jejunij, nec non ipſius obligatio, etiam reſpectu illorum, qui ad abſtinentiam á carnibus non abſtringuntur. Conſultus autem Pontifex ab Ilmó. D. D. Andrea Mayoral, Archiepiſcopo Valentino, reſpondit per aliam Conſtitutionem quæ incipit: *Cognovimus*, ann. 1742. his verbis: *Reſpondemus igitur po-*

ſtu-

ſtulato tuo, nos in eiјsdem litteris definiendum non ſuſcepiſſe, an qui Eccleſiaſtica authoritate ab jejunio excuſarentur, non ſolum vetitis cibis uti, ſed juſſæ pariter veſpertinæ abſtinentiæ fines egredi queant. Præcipimus autem Epiſcopis, eorumque Delegatis, ut nemini veſcendi carnibus, aliisque cibis vetitis veniam tribuant, niſi, ſub gravi imperata ſimul unicæ comeſtionis norma. Ita univerſale iſtud præceptum pro tua ſpectantiſſima vigilantia Gregi tuo indicendum jubeto. Ubi ut vides, quæſtionem in abſtracto definire non intendit Pontifex, ſed ſolum præſcribere legem diſpenſationis concedendæ.

Sic pariter relatæ opiniones non videntur proprie damnatæ, ſed tantum prohibitæ; immo nec directe prohibitæ, ſed indirectæ, quatenus oppoſitum earum in Conſtitutione præcipitur. Ex his infertur, & eſt valde notandum, quod ubicumque hæc Conſtitutio non obligaret, vel ob defectum publicationis, vel quia uſu non eſſet recepta, vel aliam ob cauſam, ſi aliqua ex memoratis opinionibus eſſet vere probabilis, aut ſi in aliquo caſu augeretur ejus probabilitas ad terminos proprios probabilitatis, propter aliquam gravem neceſsitatem, vel veram impotentiam, vel ob aliud motivum, tunc opinio prohibita, & interdicta redderetur practice probabilis. Idem contingeret ſi præceptum hujus Conſtitutionis revocaretur, aut moderaretur à Sede Apoſtolica, & ubicumque ſemper, & quando hoc præceptum non obligaret. Conditionate loquor, non abſolute. Videatur noſter Sanz in expoſitione hujus Conſtitutionis quæſt. 3. num. 22. addens in fine: *Caſus hinc oriundos, bene conſidera.*

DIS-

DISPUTATIO I.

De ſolicitatione ſecundum ſe, & de ea, quæ fit in actu Confeſſionis.

QUÆSTIO I.

An prædicta Conſtitutio Benedictina obliget in his Indiarum Partibus?

1. NON QUÆRITUR IN PRÆSENTI DUBIO, an ut Conſtitutiones Pontificiæ obligent ubique terrarum, ſatis ſit, quod ſint Romæ promulgatæ? Etſi enim ſententia affirmans communior ſit, ſententia tamen negans probabilis eſt, & ut talis docetur ab Heno, Picler, Murillo, & alijs. Immo etſi aliqui ex Authoribus primæ opinionis, hoc concedant de lege mere prohibente, negant de lege irritante, qualis eſt, quæ aufert juriſdictionem Sacramentalem, ut notat Bambeſtuber tract. de Leg. ad hanc quæſt. niſi Summus Pontifex in Lege, vel Conſtitutione contrarium exprimat.

2. Verum, quia difficultas præſens non debet procedere de obligatione legis Pontificiæ ſecundum ſe, ſed de ejus obligatione, attentis privilegijs noſtris Catholicis Regibus á Sede Apoſtolica conceſsis, credo, quod eſt longe diſtincta. Quia licet demus ut verius, quod lex Pontificia obligat per ſe ubique terrarum, ſemel promulgata Romæ, fieri tamen poteſt per accidens ut non obliget, ut obſervat citatus Bambeſtuber, probans hoc aſſertum argumento, quod dici ſolet de actu ad potentiam. Quoniam Regi Hiſpaniæ (inquit) conceſſum eſt privilegium, ut Diplomata Pontificia non obligent, in ſuis Ditionibus niſi ſolemniter promulgentur, & quod nec promulgari poſſunt, niſi accedente Regio conſenſu.

3. Stando igitur in terminis hujus privilegij, de quo etiam meminerunt Layman, Sporer, Holzman, Becerra, Mezger, & alij paſsim, eſtque longeva conſuetudine in noſtra Hiſ-

pania

pania firmatum, nemo eſt qui non videat, ſequens argumentum poſſe in præſenti formari. Etſi dicta Conſtitutio ſuerit publicata ab Illuſtriſsimis Diœceſanis anno 52. in Edicto declarativo conceſsionis Jubilei anni Sancti, illa publicatio non fui juxta tenorem, & uſitatum modum, quo Conſtitutiones Pontificiæ publicari ſolent, referendo eas de verbo ad verbum, ſed ſolum fuit incidentalis, quatenus Summus Pontifex declarabat in Breve Conceſsionis, quod neque in virtute dicti Jubilei, poterat aliquis Confeſſarius complicem turpem abſolvere, ut á Sanctitate ſua jam erat prius prohibitum, & definitum; atqui attendendum eſt ſemper id quod principaliter, & non quod incidenter agitur, ut ex jure docet Murillo tom. 2. fol. 444. Ergo quantumvis conceſsio præfati Jubilei à Supremo Regio Senato fuerit examinata, & ad has Indiarum partes miſſa, tamen per ejus publicationem non videtur talis Conſtitutio ſufficienter promulgata.

4. Inſuper, quia licet concedamus, quod prædicta Conſtitutio, ſufficienter promulgata ſit in Edicto Jubilei, quatenus in eo definit, juriſdictionem Confeſſarij nullam eſſe, ad complicem in peccato turpi obſolvendum, nihilominus, adhuc poterit aliquis dubitare, an per talem incidentalem publicationem, eſſet ſufficienter publicata, quoad alias clauſulas diverſos articulos continentes; quandoquidem, neque in Breve conceſsionis, neque in Edictis Illuſtriſsimorum Epiſcoporum, fit de illis aliqua ſpecialis mentio: Ergo ſaltem quoad dictas clauſulas non obligat.

5. Subinde, quia quoties Authores probatæ authoritatis, & doctrinæ dubitant de obligatione alicujus legis, tunc non obligat talis lex; ſiquidem in tali caſu, lex non eſt ſufficienter Communitati propoſita, & lex quæ non eſt ſufficienter propoſita, non obligat, ut docet Sporer in Tirocin. cap 4. num. 72. & multis probat Baldelus in Theolog. Moral. lib. 4. diſp. 8. eſtque communis ſententia cum Antonio Perez, Thoma Hurtado, Joſepho Garci, Reiffenſtuel, Moya, & alijs paſsim: Quam Sententiam multifariam ſuadet quoque Ligorius lib. 1. tract.

1. de

1. de Conſcient. dub. cap. 2. §. 2. á num. 54. cum N. Subtili M. Scoto in 4. D. 3. q. 4. D. Thom. in q. 17. de verit. art.3. & D. Bernardo, Epiſt. 77. ad Hug. de S. Vict. Sed de obligatione hujus Conſtitutionis in his Indiarum partibus, maxime dubitatum eſt à Viris peritis, & timoratis: Ergo neque eſt ſufficienter populo propoſita, nec videtur obligare. Videatur etiam pro confirmatione præcedentium Ceſar Carena in deciſ. Granatenſ. Tribunal. n. 112. Vide pariter Sanctiſsimum Benedictum XIV. in ſua Synodo Diœceſana lib. 13. c. 4. & 5.

6. Verumtamen, hanc Benedictinam Conſtitutionem ubique obligare in his noſtris Indicis ditionibus, noviſsime aſſerit, & multis probat noſter Hidalgo in ſuo Tract. Theol. Canonico-Morali in duplicem Conſtitutionem Sanctiſsimi in Chriſto Patris Benedicti XIV. cujus fundamenta apud ipſum videnda relinquo. Noto autem, quod ſi Illuſtriſsimi noſtri Diœceſani in teſtimonijs authenticis, quæ conferunt Sacerdotibus, qui exponuntur ad Confeſsiones audiendas, expreſſam mentionem communiter faciunt hujus Conſtitutionis, ut obſervavi in aliquibus, quæ ad manus meas pervenerunt, tunc meo judicio, licet nullo alio modo promulgata eſſet hæc Conſtitutio, debitam promulgationem ſuppleret hæc conſuetudo Illuſtriſsimorum Judicum, & praxis utentium. Hæc enim legem conſtituunt ex L. 37. ff. de leg. Accedit, quod licet aliqua lex non obliget, dum de ejus obligatione diſceptatur, tamen, ſi firmetur per uſum, obligat, ut loquendo in ſpecie de Conſtitutionibus Pontificijs docet Salgado ex Gratiano, de ſupplic. ad Santiſsim. cap. 2. ſect. 3. num. 120. pag. 43.

QUÆSTIO 2.

An hæc Benedictina Conſtitutio ſit odioſa, vel favorabilis?

1. NON deficient aſſerentes eſſe abſolute favorabilem. Tum, quia eſt ampliativa Gregorianæ. Tum, quia tota tendit ut Sacramentum Pœnitentiæ ſancte adminiſtretur fidelibus. Tum, quia principaliter incumbit in pro-

curando publicam utilitatem Eccleſiæ. Tum, quia licet in ea decernat Summus Pontifex, delinquentes eſſe puniendos, hoc videtur tangi â ſecundario, & tamquam finis extrinſecus. Sic dicit Nuño part. 1. quæſt. 4. §. 1. citans pro ſe plures alios, quod Bullæ contra ſolicitantes ſunt â primario favorabiles, & á ſecundario odioſæ.

2. Cæterum quod prædictæ Bullæ, inter quas numerari debet hæc Conſtitutio, ſint â primario odioſæ, & á ſecundario favorabiles, eſt etiam valde probabile, ſi non eſt probabilius, & ſic docuerunt Acuña, Freytas, Portel, Souſa, Riccius, Sanctarelus, & alij, quos omnes citant, & ſequuntur Joannes á Sanctiſsima Trinitate ſect. 1. dub. 4. & 5. & Carena titul. 6. §. 2. Stant etiam pro hac ſententia Torrecilla in Enciclopedia tom. 2. verb. ſolicitatio num. 42. Bordonus tom. 1. cap. 23. de ſolicit. num. 9. & in Manuali ſect. 25. num. 64. Prado tom. 1. cap. 10. num. 10. Gonzalez Matthæo in Summa Moral. tract. 23. de Pœnit. §. 21. num. 265. Thom. Hurtado tract. 4. de ſolicit. cap. 3. §. 2. â num. 17. & ſæpe deinceps. Didacus de la Fuente cap. 10. num. 102. & alij quam plures, cum noſtro Aramburu, vel quiſquis ſit Author diſſertæ Conferentiæ Moralis, in qua vindicatur ejus reſponſio, ſuper probabilitatem opinionis aſſerentis non eſſe obligationem denuntiandi Confeſſarium ſolicitantem in Confeſſionario, ſi non ſimulat Confeſſionem, â pag. 51. uſque ad 55.

3. Ratio hujus ſententiæ eſt, quia ut bene advertit Joan. á Trinit. recta adminiſtratio Sacramenti Pœnitentiæ, ſemper fuit jure divino præcepta: Ergo in dictis Bullis, & Conſtitutionibus, nihil novi, quantum ad iſtam, præcipitur á Summis Pontificibus, conſequenterque quod abſolute, principaliter, & â primario ab ipſis intenditur, eſt punitio delinquentium. Tum, quia ut inquit Carena cum communi Doctorum, favorabilitas, & odioſitas legum, ſumitur ab earum materia, quæ cum in dictis Bullis, & Conſtitutionibus ſit odioſa, utpote continens materiam oneroſam his quibus imponitur, non favorabiles, ſed odioſæ debent cenſeri.

4. Nec

4. Nec obeſt, quod tales Conſtitutiones dirigantur ad bonum commune, & ad publicam utilitatem tendant: Quoniam, per omnem legem, quantumvis odioſiſsimam, favor totius Reipublicæ á Legiſlatore intenditur. Omnis enim lex eſt ordinatio rationis in ordine ad bonum commune: Et cauſa finalis legis commune bonum concernit, ex Can. erit 2. diſt. 4. Sic reſervatio votorum facta eſt ob ſalutem animarum, & favorem Religionis, & tamen quia pœnalis eſt, cenſetur odioſa. Pariformiter, reſervatio peccatorum introducta eſt in Eccleſia in favorem animarum, & hoc non obſtanti, odioſa reputatur. Videatur Torrecilla loco citato ubi citat etiam pro hac ſententia Suarez, Soto, Sanchez, & alios.

QUÆSTIO 3.

Quomodonam ſic hæc Conſtitutio interpretanda?

1. REſp. eſſe valde probabile ex proxime dictis, quod ejus interpretatio debet eſſe mitis, benigna, & ſtricta. Ratio eſt ex illis decantatis Regulis juris: *Odia reſtringi, favores convenit ampliari. In pœnis benignior eſt interpretatio facienda.* Hic enim eſt modus ſervandus in interpretatione legum, præſertim pœnalium, ut conſtat ex Suarez de legibus lib. 6. cap. 2. & 3. & alijs, & habetur L. 59. L. 192. ff. de Reg. jur.

2. Dices cum aliquibus, ex Authoribus contrariæ ſententiæ, quod lex pœnalis debet ampliari, & non reſtringi, in his, quæ pertinent ad publicam utilitatem. Ergo dicta Conſtitutio in omnibus debet amplie interpretari. Reſpondeo neg. ant. nam ex illo ſequeretur, quod omnis lex pœnalis deberet amplie interpretari, cum nulla ſit, quæ ſaltem extrinſece, & á ſecundario bonum totius Reipublicæ non reſpiciat, ut ſupra manet jam notatum ex Carena, & alijs, conſequenterque omnis lex eſſet â primario favorabilis, quod nemo concedet.

3. Addo autem ex Bezerra de hæreſi quæſt. 9. §. 3. num. 211. quod in illis, quæ expreſſa ſunt in lege, neque ampliari,

neque reſtringi debet lex. Quapropter in omnibus, quæ in hac Conſtitutione ſunt expreſſe diſpoſita, definita, & præcepta, nec debet eſſe interpretatio amplia, nec ſtricta, ſed obſervandus eſt proprius, naturalis, communis, & uſitatus loquendi modus, ſicut, & uſitata, communis, naturalis, & propria verborum, & nominum ſignificatio.

4. Ratio horum eſt ex Joann. á Trinit. ſect. 1. dub. 6. n. 2. Quia ut communis docet ſententia, quilibet Legiſlator ſemper intendit condere legem claram, & diſtinctam: Ut autem lex clara, & diſtincta ſit, ejus verba debent accipi ſecundum propriam, naturalem, communem, & uſitatam ſignificationem. Alias, unicuique liceret pro ſuo arbitratu illam extendere, vel reſtringere, nullaque eſſet certitudo de voluntate Legiſlatoris, & de ejus mente.

QUÆSTIO 4.

Quid ſit ſolicitatio ad inhoneſta, & turpia Dominis Inquiſitoribus denuncianda?

1. RESp. quod licet verbum *ſolicitare* plures acceptiones, & ſignificationes habeat, tamen prout in præſenti uſurpatur, idem omnino eſt, ac allicere, provocare, inducere, attrahere, aut excitare pœnitentem, ſive fœminam, ſive maſculum ad actus inhoneſtos, & turpes, ſive verbis, ſive ſignis, ſive nutibus, ſive tactibus amatorijs. Seu idem ſignificat, ac adhibere ſtudium, & diligentiam ad aliquid inhoneſtum, & turpe perpetrandum, ſive adulando, ſive promitendo, ſive alliciendo, ſive provocando, ſive perſuadendo ad rem veneream, animum libidinoſum, & impudicum aliquo modo exterius manifeſtando.

2. Sic ſumi videtur capit. per inquiſit. de elect. quatenus ibi dicitur: *Solicitare præcibus.* Eodem modo accipitur cap. Solicitatores de Pœnit. diſt. 1. ubi aperte ſumitur pro perſuaſione, & interpellatione, quæ dum de inhoneſtis, & turpibus eſt ſermo, animum libidinoſum, & impudicum exprimere debent;

bent; quandoquidem, interpellare virginem de ſtupro, idem eſt, ac ipſam amatorie provocare, ut notat Didacus Arias, verbo *interpello.* Hiſpanæ: *Requerirla de amores.* Ita etiam uſurpatur in cap. Si quis tam fœminam, quam maſculum de Pœnit. diſt. 1. in quo accipitur pro attentatione ad impudica, quæ animum impudicum, & libidinoſum exterius manifeſtare videtur. Nam ut ibi notatur: Attentari pudicitia dicitur, cum id agitur, ut ex pudico impudicus fiat.

3. Conſonant hæc omnia Conſtitutionibus Pontificijs contra Solicitantes emanatis; nam Pius IV. in ſua antiqua Conſtitutione ſic ait: *Pœnitentes ad actus inhoneſtos alliciendo, & provocando, ſeu allicere, & provocare tentando, & procurando.* Gregorius XV. ſic: *Qui perſonas ad inhoneſta ſolicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerint.* Et denique Benedictus XIV. *Ad inhoneſta, & turpia ſolicitare, vel provocare, ſive verbis, ſive ſignis, ſive nutibus, ſive tactu, ſive per ſcripturam, aut tunc, aut poſt legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, vel tractatus temerario auſu habuerint.*

4. Hinc bene notandæ ſunt illæ particulæ *alliciendo, & provocando, allicere, & provocare;* cum ex ipſa intelligentia terminorum plures caſus reſolvi poſsint. Verbum enim *allicio* idem ſignificat, ac attrahere cum ſignis, aut verbis amatorijs. Hiſpane: *Atraher con alhagos.* Verbum autem *provoco* idem ſignificat, ac vi inducere, & invitare. Hiſpane: *Combidar, ò inducir con violencia.*

QUÆSTIO 5.

An in his Conſtitutionibus comprehendantur Interpres, Mandans, & non Sacerdos, fingens ſe Confeſſarium, ſi ſolicitent?

1. RESp. 1. contra Acuñam, Freytas, Trimarchum, & alios, quod Interpres ſolicitans non eſt denunciandus. Ratio eſt ex Bordono in Manuali ſect. 25. n. 94. quia de Interprete, nec directe, nec indirecte fit mentio in Bullis

llis contra ſolicitantes: Et ita docent Sanchez in Select. diſp. 11. n. 10. & Souſa tract. 1. cap. 10. num. 3. & 4. Tum, quia Interpres, neque proprie, neque interpretative eſt Confeſſarius, cum non judicet, ſed ſolum informet, ac per conſequens non ſolicitat ut Miniſter Sacramenti, ut recte advertit Hebas de Pœnit. cap. 68. in fine. Ex quibus eruitur, quod reſolutio procedit etiam in caſu, quo Interpres eſſet Sacerdos approbatus ad audiendas Confeſsiones, nam hoc ſolum de materiali ſe haberet.

2. Dices: Interpres ſolicitans abutitur Sacramento ob finem turpem: Ergo eſt denunciandus. Reſp. neg. conſeq. Nam etiam pœnitens ſolicitans abutitur Sacramento, & non eſt denunciandus; & hoc ideo, quia Bullæ non loquuntur de pœnitente ſolicitante, ſed de Confeſſario, & lex non aptatur illis quibus verba legis non conveniunt ex cap. Indemnitatibus de elect. in 6. §. fin. & ex L. 4. §. toties ff. de damno infecto. Accedit, quod dicit Apoſtolus ad Rom. 3. *Scimus autem quoniam quæcumque lex loquitur, ijs, qui in lege ſunt loquitur:* Ergo cum neque Interpres, neque pœnitens exprimantur in Bullis, non comprehenduntur in illis.

3. Reſp. 2. contra Riccium, Homobonum, & alios, quod neque mandans, vel rogans Confeſſarium, ut pro ſe ſolicitet pœnitentem, eſt denunciandus. Tum, quia mandans, aut rogans, etſi ſit Sacerdos, non ſolicitat ut talis, neque ut Miniſter Sacramenti, neque in Bullis exprimitur, ut paulo ante dicebam de Interprete. Tum, quia mandans non punitur ſicut faciens, niſi hoc exprimatur in lege, ut ex Bonacina, Barboſa, & alijs advertit Bordonus in Manuali ſect. 25. num. 19. & per hoc ſolvuntur argumenta contraria, ſcilicet: Eum dici facere, qui jubet id facere. Is damnum dat, qui jubet damnum dare. Qui eſt cauſa damni, damnum dediſſe videtur. Cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati. Qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur. Hæc enim, & alia ſimilia argumenta deprompta ex L. Manumiſsiones ff. de juſtitia, & jure, & ex L. ſi amicus ff. de reg. jur. Solum habent vim, quando in lege non ſolum

ſolum exprimitur Author delicti, ſed etiam mandans, rogans, vel conſulens delictum commiſſum, quod in Bullis contra ſolicitantes non evenit, cum ſolum loquantur de Sacerdote ſolicitante: Ergo non ſunt extendendæ ad alios.

4. Difficultas autem major, meo videri, eſt: An Interpres, & mandans fiant ex alio capite de foro Dominorum Inquiſitorum? Affirmat Carena part. 2. tit. 6. num. 40. quem ſequitur Bordonus in Manual. ſect. 25. num. 24. eo quod mandans ſortiatur forum mandatarij ex L. nulli 10. cap. de judic. quæ ratio ad Interpretem videtur extendi, & ſic ſentiunt aliqui apud citatum Bordonum num. 94. Alij autem contrarium ſentire videntur, ut videri poteſt apud Torrecilla in Enciclop. tom. 2. verbo ſolicitatio num. 58. Mihi autem videtur, quod ſi caſus ita eſt circumſtantiatus ut ſuſpicionem de fide inferat, tunc tam Interpres, quam mandans fiunt de foro Sanctæ Inquiſitionis, cum ad hoc Sacrum Tribunal pertineat hæreticos, & de hæreſi ſuſpectos punire: Extatque de hoc Decretum S. Univerſalis Inquiſitionis, coram Urbano VIII. die 23. Jan. ann. 1623.

5. Reſp. 3. quod Laicus finges ſe Sacerdotem (idem dic de Subdiacono, & Diacono) non comprehenditur in his Conſtitutionibus, etiamſi pœnitentes ſolicitet excipiendo eorum Cōfeſsiones. Ita præter alios Gonzalez Matthæo de Pœnit. §. 22. num. 309. Ratio autem eſt eadem quæ ſupra, nimirum, quia dictæ Conſtitutiones expreſſam mentionem faciunt de ſolis Sacerdotibus.

6. Dices: Laicus fingens ſe eſſe Confeſſarium, & revelans peccata audita, frangit ſigillum: Ergo, etiam eſt vere ſolicitans, & ut talis denunciandus. Reſp. ex eodem eſſe diſparitatem, quia ad obligationem ſigilli, ſufficit, quod Confeſsio ſit Sacramentalis ex intentione pœnitentis. At, ut Confeſſarius ſolicitans comprehendatur in Conſtitutionibus, debet eſſe Sacerdos quia ſic expreſſe continetur in illis, & ut odioſæ non debent amplari ad non expreſſa.

7. Reſp. 4. quod Laicus, de quo eſt ſermo, debet denun-

ciā-

ciari ex alio capite, nimirum, quia ſacrilege abutitur Sacramento Pœnitentiæ, eſtque ſuſpectus in fide, in vi cujuſdam Conſtitutionis Gregorij XIII. quæ incipit: *Officij noſtri*. Extantque de hoc Decreta, & Bullæ Pij IV. Clementis VIII. & Sixti V. apud Bordonum in Manual. ſect. 23. á num. 9. & Pignatelli tom. 1. noviſsimarum Conſultationum, conſul. 114. ubi citat. aliam Conſtitutionem Urbani VIII. quæ incipit: *Apoſtolatus Officium.* Ratio eſt: Quia ſic abutens Sacramentis, facto impugnat fidem Catholicam, docentem ſolos Sacerdotes, vel Epiſcopos talis Sacramenti eſſe Miniſtros.

8. Difficultas autem non levis hic eſt, an Laicus fingens ſe Sacerdotem, & audiens Sacras Confeſsiones, efficiatur reus pœnarum, ſi non abſolvit pœnitentem? Affirmat Bordonus in Manual. ſect. 23. num. 18. ubi tenet affligendos eſſe non Sacerdotes audientes Confeſsiones ultimo mortis ſupplicio, juxta Bullas Clementis VIII. quæ incipit: *Etſi alias.* Et Urbani VIII. quæ incipit: *Apoſtolatus Officium.* Et ita docent apud ipſum Souſa, Freytas, Trimarchus, & Salelles. At, Alberchinus, cap. 25. num. 7. judicat ut probabilius, quod ſi Laicus, vel non Sacerdos, abſolutionem non confert ſolum eſt puniendus pœna extraordinaria, & citat pro ſe Rodriguez, Acuñam, Sanctarellum, Barboſam, Joannem Sanchez, Dianam, & Carenam. Gonzalez Matthæo ex Poteſta, cum Leandro tom. 2. n. 580. videtur ſentire, quod ut non Sacerdos Confeſsionem audiens, denuncietur, debet abſolutionem impertiri. Ad quod, fundamentum præbere videntur illa verba Conſtitutionis Gregorij XIII. *Confeſsiones audire, ac abſolutionem impertiri:* Copulativa autem *ac* concurſum illorum duorum videtur requirere. Pignatelli tom. 1. noviſsimarum Conſultationum, conſult. 117. in principio, aſſerit, Urbanum VIII. declaraſſe an. 1640. in Conſtitutione ſua contra Celebrantes, vel Confeſsiones audientes, non promotos ad Sacrum Presbyteratus Ordinem, ſuam intentionem fuiſſe, ac eſſe comprehendere, & comprehenſos fuiſſe, non ſolum illos, qui ad Presbyteratum non promoti Confeſsiones fidelium audiunt, & abſolutionem impertiunt,

ſed

ſed etiam illos, qui Confeſsiones prædictas audiunt, & abſolutionis verba non proferunt. Videantur, ſi placet, citati Authores: Et attendatur quoque pto his omnibus ad Conſtitutiones Sanctiſsimi Benedicti XIV.

QUÆSTIO 6.

An ſolicitatio Dominis Inquiſitoribus denuncianda, debeat eſſe ad præciſſe inhoneſta, an autem ad inhoneſta, & turpia ſimul, & conjunctive?

1. HOC dubium eſt nullius quem viderim, expreſsis terminis, eſtque ratio dubitandi, quia Sanctiſſimus Benedictus XIV. in Conſtitutione *Sacramentum Pœnitentiæ*, præcipit denunciare Confeſſarios ſolicitantes ad inhoneſta, & turpia, quæ verba in dicto diplomate ſemel, & iterum adunat dicens: *Ad turpia, & inhoneſta ſolicitantes. Ad inhoneſta, & turpia ſolicitare, vel provocare tentaverint.* Ex quibus verbis, forte apparebit alicui, quod difficultas hic tacta non ſit prorſus inutilis, cum illa particula *Et*, inhoneſta cum turpibus, & turpia cum inhoneſtis conjungat. Declaro magis rem ſequenti exemplo: In noſtra Religione tactus impudici, & enormes ſunt peccatum reſervatum. Verum ut incurratur reſervatio, non ſufficit tactus præciſſe impudicus, ſed requiritur quod ſimul, & conjunctive ſit enormis; & hoc ideo, quia Lex tale peccatum reſervans, enormia cum impudicis conjugit. Videatur Bordonus tom. 2. reſol. 48. num. 20.

2. Scio, quod inhoneſtum, & turpe grammaticaliter idem ſignificant, & uniformiter accipi pro fœditate. Hiſpane: *Por coſa fea.* Nec me latet, quod etiam in moralibus communiter pro eodem ſumuntur: Inqua ſinonoma acceptione, nullus eſt locus dubitationi, ut nemo eſt qui non videat. Verum, quia in prudenti hominum exiſtimatione, pejus ſonat verbum turpe, quam mere inhoneſtum, & licet quidquid eſt turpe habeatur pro inhoneſto, non tamen omne inhoneſtum, habetur pro turpi, hinc ſuſpicor, quod hoc dubium non eſt omnino

chi-

chimericum: Maxime cum ſit ſermo de impudicis venereis, & libidinoſis, in quo negotio prudentia quæ eſt rerum Magiſtra, non ſemel juxta facti contingentias, de verbis, ſignis, & nutibus, in utroque foro ſit judex.

3. Inſuper quia ut procedamus ſecundum regulas juris, in legibus, contractibus, teſtamentis, privilegijs, reſcriptis, ſententijs, & in diſpoſitionibus odioſis, & pœnalibus, verba ita debent ſumi, ut non ſuperflua, ſed cum effectu ſint, etiam ſi ad hoc ſit neceſſarium verba aliquantulum impropriari, ut conſtat cap. 17. de Pœnit. diſt. 1. cap. 4. de Cleric. non reſid. L. 1. §. 2. ff. quod quiſque jur. Sed ſi inhoneſtum, & turpe idem ſignificarent in Conſtitutione Benedictina, Pontifex uteretur verbis ſuperfluis, & aliquod ex his verbis apponeretur ſine effectu: Ergo inhoneſtum, & turpe in dicta Conſtitutione diſtingui debent ſaltem juridice.

4. Ex quibus, non ſine fundamento, videtur quod poteſt hoc argumentum in præſenti formari: Effectus legis non debet excedere Legiſlatoris voluntatem, ut habetur Leg. 19. ff. de rebus credit. ſed voluntas Pontificis eſt ut denuncietur ſolicitatio ad inhoneſta, & turpia: Ergo ſi dicimus, quod adeſt obligatio denunciandi Confeſſarium ſolicitantem ad mere inhoneſta, & non turpia ſimul, & conjunctive, excederetur voluntas ejus.

5. Nec dicas, quod ex hoc ſequeretur, Conſtitutionem Benedictinam non eſſe ampliativam Gregorianæ, ſed potius reſtrictivam, quod non eſt audiendum. Nam ad hoc reſp. 1. quod in illis quæ expreſſe conſtant in lege, non debet aliter intelligi, ut ſupra manet dictum quæſt. 3. â num. 3. Reſp. 2. dictam Conſtitutionem eſſe ampliativam, quo ad aliqua, ſeu quatenus expreſſe præcipit denunciare aliquos caſus, de quibus olim dubitabatur, an eſſent denunciandi. Sed cum hoc optime ſtat, quod non ſit ampliativa reſpectu omnium, quæ in Bulla Gregoriana continentur, ſed potius declarativa aliquorum, ut infra etiam videbimus. Et videtur conſonum menti ipſius Summi Legiſlatoris Benedicti XIV. qui loquendo de

Bullis

Bullis Pij IV. & Gregori XV. in ſua Synodo Diœceſana lib. 6. cap. 11, num. 4. hæc habet: *Et nos quidem has omnes Conſtitutiones innovavimus, & declaravimus per noſtram, quæ incipit Sacramentum Pœnitentiæ, quæque extat tom. 1. Bullarij noſtri num.* 20. Vel dici poteſt, quod ad hoc, ut ſit ampliativa Gregorianæ, ſufficit quod jus novum ſtabiliat, ut ex ejus contextu ad oculum cernitur: Quandoquidem non ſolum aliquos caſus dubios ſolicitationis aperte definit, eſſe in Gregoriana comprehenſos, ſed etiam juriſdictionem tollit ad complicem turpem abſolvendum, aliaque de novo ſtatuit.

6. Reſp. 3. & credo quod magis ad rem, ſolicitationem, quæ denunciari præcipitur in Gregoriana, etiam eſſe de inhoneſtis, & turpibus ſimul, & conjunctive: Nam Summus Pontifex in Procemio præfatæ Conſtitutionis, expreſſam mentionem facit de ſolicitatione ad turpia, ut patet ex illis verbis: *Solicitando pœnitentes ad turpia abutatur;* & omnibus notum eſt, quod cauſa in Procemio poſita, cenſetur finalis, ut dicitur L. 21. tit. 1. p. 6. Ex quibus eruitur, quod dum poſtea in tali Conſtitutione ſit expreſsio de inhoneſtis, hæc non ſunt accipienda, ut mere inhoneſta, ſed ut ſimul turpia; quia verba ſubſequentia determinantur per priora: Sicque utraque Conſtitutio videtur loqui de ſolicitatione ad inhoneſta, & turpia ſimul, & conjunctive. His notatis.

7. Cum propoſuiſſem hoc dubium aliquibus Viris doctis; aliqui judicarunt, quod per mere, & præciſſe inhoneſtum, intelligi poteſt quodcumque allicitivum ad amorem mere, & præciſſe vanum; & quod per inhoneſtum, & ſimul turpe, intelligi poteſt quodcumque allicitivum ad amorem impudicum, & libidinoſum. Puto quod melius reſponderi poteſt dicendo, quod homicidium, vindicta, furtum, perjurium, & alia ſimilis furfuris, licet non ſint quid turpe, ſunt tamen quid inhoneſtum, cum afœditate non ſint immunia: Inhoneſtum enim videtur extendi ad omne vitium, & opus malum, ſicut honeſtum ad omnem virtutem, & opus bonum extenditur. Non tamen propterea denunciandi ſunt Confeſſarij, ad hæc, & ſimi-

milia ſolicitantes pœnitentes, ut videbimus quæſt. ſequent. & hoc ideo, quia licet inhoneſta ſint in ſenſu expoſito, non tamen ſunt turpia, venerea, libidinoſa, & impudica.

8. Sed his non obſtantibus, quia verba non ſemper accipi debent, ut ſonant, ut conſtat C. 2. 23. q. 1. & in jure eſt ſatis frequens, quod conjuncta aliquando pro disjunctis accipiantur, ſicut, & disjuncta pro conjunctis, ut patet leg. 35. ff. de V. S. Sufficiat mihi dubium propoſuiſſe, ut ab alijs magis ad rem reſolvatur. Millies autem affirmo, quod ſi per verbum præciſſe, & mere inhoneſtum, aliquid impudicum, venereum, laſcivum, & libidinoſum ſignificatur, tunc Confeſſarius ad mere inhoneſta ſolicitans, eſt Dominis Inquiſitoribus denunciandus.

QUÆSTIO 7.

An ſit denunciandus Confeſſarius ſolicitans pœnitentem ad alia peccata, non inhoneſta, & turpia?

1. RESp. cum communi non eſſe denunciandum, contra aliquos paucos. Ratio eſt, quia ſic videtur definitum â Summis Pontificibus in ſuis Conſtitutionibus: Siquidem Gregorius XV. denunciare præcipit Confeſſarios, qui ſuos pœnitentes ad inhoneſta ſolicitare, vel provocare tentaverint, quæ inhoneſta ſimul turpia eſſe debent, ut eruitur ex procemio ſuæ Conſtitutionis, & expreſſe declarat Benedictus XIV. per illa verba: *Ad inhoneſta, & turpia ſolicitare, vel provocare tentaverint;* ut dixi quæſt. præced. Plura, quæ hanc ſententiam confirmant, tradit etiam Sanctitas ſua in Synodo Diœceſana Edit. Ferrar. ann. 1756. lib. 6. cap. 11. â num. 14.

2. Objicies ex Peña: Ideo Confeſſarius ſolicitans ad inhoneſta, & turpia denunciandus eſt, quia abutitur Sacramento Pœnitentiæ, & illi, & pœnitentibus injuriam facit; ſed hæc ratio æque militat, ſi ſolicitat ad homicidium, perjurium, furtum, & ſimilia: Ergo Confeſſarius ad hæc ſolicitans, eſt denunciandus. Confirmatur: Ubi adeſt ſimilitudo, & identitas

ra-

rationis in aliquo non expreſſo, lex extendenda eſt ad illud, ac ſi eſſet expreſſum; ſed Confeſſarius ſolicitans ad peccata, quæ non ſunt turpia, præterquamquod Sacramento, & pœnitentibus injuriam irrogat, male ſentire videtur de Sacramento: Ergo:

3. Reſp. diſtin. maj. quia abutitur Sacramento, & eï, & pœnitentibus injuriam infert inhoneſte, & turpiter, concedo maj. Præciſſe quia abutitur Sacramento, & ei, ac pœnitentibus infert injuriam, neg. maj. ſic diſtincta min. neg. conſeq. Ad confirmationem dico, quod ob ſolam ſimilitudinem, & identitatem rationis, non ſunt hæ Conſtitutiones extendendæ ad crimen, perſonam, & caſum, qui ſub propria, naturali, & uſitata verborum forma, acceptione, & ſignificatione, non fuerit expreſſus. Tum, quia ratio legis, non eſt lex, ut de ſe patet. Tum, quia Legiſlator poteſt diſponere de uno, & non de alio, vel quia non expedit, vel quia non vult. Tum, quia ipſa omiſsio caſum, qui non exprimuntur, aperte manifeſtat, Legiſlatorem noluiſſe illos comprehendere: Quia quidquid aſtringendæ obligationis eſt, id niſi palam exprimatur, omiſſum intelligendum eſt, ut habetur. L. quidquid ff. de verb. oblig.

4. Quod autem Confeſſarius ſolicitans pœnitentem ad peccata non turpia, male videatur ſentire de Sacramento Pœnitentiæ, taliter ut ſit ſuſpectus in fide abſolute negandum eſt, quoniam nullo jure hæc ſuſpicio probari poteſt. Atamen ſi aliquis caſus talibus circumſtantijs eſſet indutus, ut ſuſpicionem de fide inferret, tunc Confeſſarius denunciandus eſſet Dominis Inquiſitoribus, non in vi harum Conſtitutionum, ſed quia alias ad ipſos pertinet hæreticos, & de hæreſi ſuſpectos punire.

QUÆSTIO 8.

An in vi harum Conſtitutionum ſolummodo denunciandus ſit Confeſſarius ſolicitans?

1. RESp. 1. Quod etiam denunciandus eſt Confeſſarius, qui illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſive

tractatus habuerit cum pœnitente, licet hoc fiat, ſine animo ſolicitandi, ſeu habendi rem turpem cum eo. Sic conſtat expreſſe ex illis verbis Gregorianæ: *Aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerint.* Id ipſum dicitur in Benedictina: *Aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, vel tractatus, auſu temerario, habuerint.* Sed horum occaſione.

2. Quæres incidentaliter: Quid ſit aliquid facere auſu temerario? Reſp. idem eſſe ac ſcienter, & conſulto facere: Nec dictio *temere* minorem energiam habet quam præſumere. Seu idem eſſe, ac aliquid facere in contemptum legis, & plus importare, quam præcipitanter agere: Quod valde notandum eſt, inquit Cajetanus, ad interpretandos Canones inferentes pœnas, temere aliquid facientibus. Aliquando autem ſumitur, pro inconſulto, fatue, & ſtulte aliquid facere: Quæ omnia notat Barboſa de dictionibus uſu frequentioribus dict. 405.

3. Reſp. 2. ad principale quæſitum, quod etiam denunciandus eſt Confeſſarius, qui pœnitentem ad inhoneſta, & turpia tentat ſolicitare, vel provocare. Patet ex illis verbis: *Solicitare, vel provocare tentaverint.* Quod idem eſt, ac dicere, non ſolum denunciandos eſſe illos Confeſſarios, qui ſuos pœnitentes ad turpia ſolicitant directe, clare, & expreſſe; ſed etiam illos, qui ſolicitant indirecte, virtualiter, & interpretative. Vel ut alij exponunt, non ſolum denunciandæ ſunt ſolicitationes, quæ intentum exequuntur, ſed etiam illæ, quæ fiunt ſine executione finis intenti. Joann. á Trinit. ſect. 2. dub. 1. n. 3.

QUÆSTIO 9.

Quot ſint capita ſolicitationis denunciandæ.

1. Reſp. Nequaquam melius aſsignari poſſe, quam tranſcribendo clauſulas Conſtitutionum. Hinc Gregorius XV. dicit in ſua, denunciandos eſſe quoſcumque Confeſſarios, cujuſcumque dignitatis, & præeminentiæ, qui perſonas, quæcumque illæ ſint, ad inhoneſta, ſive inter ſe, ſive cum alijs quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Con-

Confeſsionis, ſive ante, vel poſt immediate, ſeu occaſione, vel prætextu Confeſsionis hujusmodi, etiam ipſa Confeſsione non ſecuta, ſive extra occaſionem Confeſsionis in Confeſsionario, aut in loco quocumque, ubi Sacramentales Confeſsiones audiuntur, ſeu ad Confeſsionem audiendam electo, ſimulantes ibidem Confeſsiones audire ſolicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerint.

2. Similiter Benedictus XIV. pariter præcipit denunciare quoſlibet Sacerdotes, qui aliquem pœnitentem, quæcumque perſona illa ſit, vel in actu Sacramentalis Confeſsionis, vel ante, vel immediate poſt Confeſsionem, vel occaſione, aut prætextu Confeſsionis, vel etiam extra occaſionem Confeſsionis in Confeſsionali, ſive in alio loco ad Confeſsiones audiendas deſtinato, aut electo cum ſimulatione audiendi ibidem Confeſsionem, ad inhoneſta, & turpia ſolicitare, vel provocare, ſive verbis, ſive ſignis, ſive nutibus, ſive tactu, ſive per ſcripturam aut tunc, aut poſt legendam, tentaverint, aut illicitos, & inhoneſtos ſermones, vel tractatus, temerario auſu habuerint ::: Etiamſi Sacerdos ſit, qui juriſdictione ad abſolutionem valide impertiendam careat, aut ſolicitatio inter Confeſſarium, & pœnitentem mutua fuerit, ſive ſolicitationi pœnitens conſenſerit, ſive conſenſum minime præſtiterit, vel longum tempus poſt ipſam ſolicitationem jam effluxerit, aut ſolicitatio à Confeſſario, non pro ſe ipſo, ſed pro alia perſona peracta fuerit.

3. Sed antequam de ſingulis ſermonem inſtituam, non erit abs re advertere, quod in facti contingentia, ſemper procedat Confeſſarius in hoc negotio cum maxima maturitate, conſulendo, ſi opus ſit, cum peritis, quia ſcriptum eſt Eccleſiaſtici 37. *Vir peritus multos erudivit.* Conſonatque jus in C. 119. 1. quæſt. 1. ubi dicitur: *In arduis negotijs graves, expertosque viros noſtris Concilijs adhibere participes debemus, & cum eis communi de hoc deliberatione penſare.* Si enim malum tam grave alteri malitioſe machinaris, aut ad illud injuſte concurris,

for-

forſam in te revolvetur. Prædictum enim eſt Eccleſiaſtici 27. *Qui in altum mittit lapidem, ſuper caput ejus cadet: Et qui foveam fodit incidet in eam: Et qui laqueum alij ponit, peribit in illo: Et facienti nequiſſimum concilium, ſuper ipſum devolvetur, & non agnoſcet unde adveniet illi.* Quapropter, ait D. Auguſtinus ſerm. 13. de verbis Domini, ſecundum Matthæum: *Unicuique ſua cupiditas tempeſtas eſt.*

4. Itaque cum ad conſulendam, vel præcipiendam denunciationem Mulieri dicenti, ſe eſſe ſolicitatam ab aliquo Confeſſario, juſtitia, zelo, obedientia, diſcretione, & prudentia oporteat uti, non erit ſuperfluum, quod Confeſſarius curet, ut Mulier ſolicitata det rationem ſui dicti: Et accurate obſervet, an vacillet, aut variet, an dubitative, an confuſſe loquatur, & an dicta ejus bene cohæreant, vel an ſint diverſa, contraria, aut inveroſimilia. Quidquid enim in caſu ſit de illa ſententia quæ habetur C. 54. de Appellat. ſcilicet, quod ſibi contrarius audiendus non eſt, tamen nemo eſt qui ignoret, quod in eventibus hujus naturæ, non ſemel officium ſuum exercere debet diſcretio, quæ eſt Mater virtutum, & dicitur c. 1. de Offic. Cuſtod. Obſervat autem potiſsimum, an fœmina ſit nimis verboſa; quia verboſitas facit loquentem ſuſpectum deveritate, vel an ſophiſtice loquatur, quia hujusmodi loquentes, odibiles ſunt, ut paſsim advertunt Doctores.

5. Hinc quærat ab ea caute, an de delicto, quod conſulit denunciare, locuta fuerit cum alijs, ſive Confeſſarijs, ſive non Confeſſarijs. Et caſu, quo Confeſſarij ei dixiſſent, ſe teneri ad denunciandum, cur denunciationem omiſsit? Etſi dixerunt illi, non teneri ad denunciandum, cur doctrinæ eorum non acquieſcit? Et caſu, quo locuta fuerit de caſu, quem conſulit, cum non Confeſſarijs, aut cum mulierculis interroges eam, quo titulo in tam arduo negotio auſa fuerit loqui cum illis; maxime dum apparet, quod hoc non fecerit ob conſilium petendum. Mulier enim, quæ Dei Miniſtrum tam facile infamat audacter, & culpabiliter, ſuſpicionem infert non aliter procedere in ſuo aſſerto niſi ex paſsione mendatio, levitate, vel animo depra-

va-

vato. Quapropter, ſi Confeſſarius prudenter præſumit in ea mendacitatem, vindictam, zelotipiam, aut alium deffectum conſiderabilem, tunc licet legem ferre non poſsim, conſilium darem, ut eam abire ſinat, illam ad alium diem citando, ut melius inſtructus de cauſa relationis ſuæ, ipſam de ſua obligatione inſtruere valeat: Vel eam ſine abſolutione dimittat, ut vadat ad alium Confeſſarium doctiorem, ut monet Gaſpar á S. Nicolao, in Synopſi. dub. 19. num. 126. Legatur etiam Lucius Ferraris verbo ſolicitatio in fine.

6. Sed dices: Hoc examen, & ſimiles cautelosæ obſervationes pertinent ad Dominos Inquiſitores; quia judicantem oportet cuncta rimari, & ordinem rerum plena inquiſitione diſcutere, ita ut tandiu actio ventiletur, quouſque ad rei veritatem perveniatur, ut habetur C. fin. 30. q. 5. Ergo nequeunt fieri â Confeſſarijs, qui obedire debent Edictis Sanctæ Inquiſitionis, ſibi præcipientibus, ut pœnitentibus ſolicitatis denunciationem ſtatim faciendam conſulant, & jubeant.

7. Sed ad hoc reſp. quod ſi Domini Inquiſitores tale examen, & obſervationes faciunt ad citandum, & puniendum reum, ut juſte coram Deo, & hominibus, in ſuis judicijs procedant, cur Confeſſarius nequibit ſimili modo procedere, ad conſulendam, & præcipiendam denunciationem, ut ſuum ſacrum Miniſterium rite, & Sanctæ opere compleat? Itaque *hæc* eſt natura Principum, teſte Quintiliano, declam. 8. ut quidquid faciant præcipere videantur. Et merito, nam ſicut caput ſuos ſpiritus, motum, & vitam transfundit in membra, ſibi ſubjecta, ſic Judices Superiores, juſtitiam, prudentiam, & ſapientiam influunt in Subditos, ut eos erudiant. Ergo ſi Domini Inquiſitores dictas obſervationes faciunt, ad citandum, & puniendum reum, non erit prohibitum Confeſſarijs, prudenter facere illas, quæ conducunt ad cognoſcendum, an Mulier ſit honeſta, conſtans, & verax, ut ei obligationem denunciandi imponant. Scriptum eſt enim Eccli. cap. 10. ſecundum Judicem populi, ſic & Miniſtri ejus. Neque ego dico, quod Confeſſarius faciat omnes obſervationes, quas prudentiſsimi, & Sapientiſsimi DD. Inquiſitores faciunt.

 8. Au-

8. Autumo, quod hoc monitum injucundum non erit illis, qui frequens exercitium excipiendi Confeſsiones habent, immo nec alijs pluribus, qui carent hujus Sancti Miniſterij majori experientia, quæ eſt rerum Magiſtra, & Mater, ut dicitur C. 6. de elect. in 6. Pro omnibus tamen ſequentem caſum, ut alios omittam, non piget referre, de cujus certitudine dubitare, nemini liceat. Cum quidam Confeſſarius, qui quotidie per aliquas horas Confeſsiones excipiebat, ſederet in Confeſſionario, venit ad eum quædam Mulier Confeſsionis cauſa, ut ipſa ait, ſibi á principio narrans, quod ab alio Confeſſario, ad turpia ſolicitata fuerat in Confeſsione. Confeſſarius autem manſit pro tunc ſuſpenſus, non obſtanti quod ſolicitatio, pro ut ab ipſa narrabatur, erat indubitabiliter in Conſtitutionibus comprebenſa, eo quod ſibi per experientiam conſtabat, Confeſſarium, quem illa reum de ſolicitatione aſſerebat, quemque proprio impulſu, ab initio ſuo nomine expreſsit, eſſe virum timoratum, & optimæ notæ. Quapropter, poſtquam, fœmina narrabit diſtincte caſum, nullam ei obligationem impoſuit, nec ejus Confeſsionem excepit, ſed illam ad alium diem citavit. Comparuit die aſsignato, & cum caute interrogaſſet eam de caſu narrato, & de circumſtantijs expoſitis, & aliquam variationem adverteret, iterum eam ſicut prius abire ſinivit, & ad alium diem citavit.

9. Sed ecce! Receſsit muliercula, & parvipendens Confeſſarij mandatum, ad eum non redijt, quoſque fere ſex anni tranſacti fuerunt; quo tempore intermedio, ſæpe putavit Confeſſarius, quod alterius mandato denunciationem feciſſet. Statim vero ac genuflexa fuit coram eo, dixit illi cum lachrymis, confuſione, & tremore: Pater, quæ tibi ab hinc fere ſex annis expoſui de tali Confeſſario, aſſerendo me ad turpia in Confeſsione ſolicitaſſe, iniquum teſtimonium fuit, & mendacium falſiſsimum.

10. Sed quia legibus, & non exemplis judicandum eſt, ut dicitur L. 13. C. de ſentent. & interloc. Si aliquibus hæc in totum non placent, diſcurrant pro ut ſibi liceat, & mihi dicta

ſuf-

ſufficiant, ne forte animo veritatem ex corde amandi, cupiendo vitare cineres, in prunas incidam.

QUÆSTIO 10.
Quid ſit ſolicitare in actu Confeſsionis?

1. RESp. quod eſt allicere, & provocare pœnitentem ad inhoneſta, & turpia, dum actu confitetur: Aut apponere tunc media, quibus poſtea Confeſſarius eum inducat ad inhoneſta, & turpia perpetranda. Sic deducitur ex contextu Bullarum Pontificium, pro quibus, recolantur dicta quæſt. 4. Hinc eruitur, quod ut Confeſſarius ſit vere ſolicitator in Confeſsione, ſufficit, quod aliquam diligentiam adhibeat, dum excipit Confeſsionem pœnitentis, ut eum ad venerea excitet; ſive ſignis, ſive nutibus, ſive tactu, ſive ictu oculorum, ſive alio exteriori modo, quo finis ejus turpis rationabiliter præſumatur, licet nullum verbum laſcivum proferat.

2. Notat tamen Taboada §. 2. n. 12. quod verbum, vel factum Confeſſarij poteſt eſſe inhoneſtum, & turpe reſpectu unius pœnitentis, & non reſpectu alterius. Ex quo infert, quod aliqua ſigna, aut facta, quæ reſpectu mulieris adultæ ſunt ſolicitatio, non habent hanc malitiam, ſi fiant cum parvulis utriuſque ſexus, eo fine, nt his blanditijs tracti, integre liberius confiteantur, & deponant horrorem præconceptum in manifeſtatione ſuæ conſcientiæ. Tum, quia hic finis eſt honeſtus, & relegat omnem libidinis ſuſpicionem. Tum, quia talia ſigna benevolentiæ in illa tenera ætate, provocativa non ſunt; ſed de his plura quæſt. ſequenti; interim.

3. Inquires 1. Anſit denunciandus ut ſolicitans in Confeſsione, qui dum excipit Confeſsionem pœnitentis, agit, vel loquitur ſe ſolo aliquid turpe? Reſp. quod ſi dignoſceretur, quod id faceret, vel loqueretur, ut alliceret, vel provocaret pœnitentem, tunc denunciandus eſſet, ut cum Bonacina, & Piſelio docet Gaſpar á Sancto Nicolao dub. 2. num. 1. Verum ſi hoc dignoſceretur eſſe factum ex fragilitate humana, & ſi-

ne intentione inducendi pœnitentem ad turpia, tunc non videtur denunciandus; cum hæc ſigna, vel verba, non ſint ſufficienter manifeſtativa pravæ intentionis Confeſſari: Et ſic Reſp. Hebas de Pœnit. tract. 5. cap. 67. Notentur illa verba Conſtitutionis: *Aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerint.* In caſu autem ſupponimus, quod in Confeſſario nulla dignoſcitur prava intentio alliciendi, vel provocandi pœnitentem, neque cum pœnitente aliquid inhoneſtum, & turpe habet, aut tractat.

4. Inquires 2. An ſit denunciandus Confeſſarius dicens pœnitenti in Confeſsione, 1. Peccata tua carnalia me induxerunt in pollutionem contra meam voluntatem. 2. Habeo erga te magnum affectum, & experior me totum commoveri.

5. Reſp. ad 1. affirmative; quia illa verba exprimunt amorem laſcivum, ut bene notat Hieronymus Trimarchus Ordinis Minimorum, natione Genuenſis. Diſp. 3. de ſolicit. n. 3.

6. Reſp. etiam ad 2. affirmative; quia talia verba ad libidinem de ſe alliciunt pœnitentem: Ut bene obſervat Bordonus in Manual. ſect. 25. num. 79.

7. Inquires 3. quid dicendum ſit, quando Confeſſarius dicit pœnitenti in Confeſsione ſequentia verba. 1. Memento mei, quia te amo, & diligo ex corde. 2. Si eſſem ſecularis ducerem te in uxorem. 3. Nolo te audire in Confeſsione, quia cum ſim captus amore tui, facile cadam. 4. Tu non peccaſti, ſed ſi aliquis offerret tibi pecuniam, nonne admitteres eum ad venerea?

8. Bordonus in Manual. ſect. 25. á num. 65. negat dari ſolicitationem comprehenſam in Bullis, in omnibus caſibus relatis. Non in primo, quia illa verba ſunt ambigua, & dubia, & poſſunt trahi in bonam partem. Non in ſecundo, quia illa verba ſignificant pudicum amoris affectum repertum inter conjuges. Non in 3. quia illa verba potius ſunt deteſtatio hujus criminis. Non in 4. quia illa verba potius ſunt objurgatio, quam provocatio. Et tom. 1. cap. 23. num. 131. dicit, quod hæc ultima verba ſunt tantum indicativa modi, quo Mulier alli-

allicitur ad libidinem; & addit, quod talis interrogatio cenſetur facta, ut ſciret Confeſſarius diſpoſitionem pœnitentis, quem non abſolviſſet, ſi affirmaſſet.

9. Sed etſi hoc ultimum in totum mihi non diſpliceat, tamen quo ad alios tres caſus prius relatos, paſsim reperies alios affirmantes, talem Confeſſarium eſſe denunciandum; quæ reſolutio magis mihi arridet, eamque amplector, in his, & ſimilibus locutionibus, dummodo non appareat aliqua circumſtantia, quæ opinionem Bordoni reddat magis ſecuram; ut contingeret, ſi omnibus examinatis, caſus maneret dubius, de quo infra tractabo.

10. Nota in fine, indubitanter eſſe reum ſolicitationis Confeſſarium dicentem pœnitenti, ut vadat ad domum ſuam, vel cubiculum, ſeu Sacriſtiam, pro ſchedula Confeſsionis, ſi ibi eum ſolicitat; quia traditio ſchedulæ eſt actus pendens à Confeſsione. Similiter denunciandus eſſet ille Confeſſarius, qui diceret pœnitenti, ut ſibi oſtenderet verenda, quæ in Confeſsione, morbo affecta eſſe, expreſsit; & hoc, licet ſit medicus peritiſsimus: Eſt Communis. In his enim, & ſimilibus caſibus, ſi in Confeſsione dixit Confeſſarius aliquod verbum ſe referens ad ſolicitationem poſtea factam, talis ſolicitatio cenſetur in Confeſsione peracta; quia à Confeſsione incepit. Si autem aliter contingit, tunc pertinet ad illas clauſulas, *ſive immediate ante, vel poſt, ſive occaſione Confeſſionis;* juxta facti contingentias. Nihilominus vide diſp. 2. per totam.

QUÆSTIO II.

An in ſignis, nutibus, & verbis ſolicitationis, poſsit dari parvitas materiæ?

1. NON procedit dubium de illis verbis, aut ſignis amatorijs blandulis, & byſsinis, quæ animum libidinoſum, & impudicum frequenter excitant: Nec de illis tactibus deliberatis, & deliberate quæſitis, qui conſtituunt in proximo periculo delectationis venereæ, ſeu proxime diſponunt

nunt ad illam. Etſi enim aliqui judicaverint, hæc excuſari á culpa mortali, dum fiunt ob ſolam delectationem naturalem, & ſenſibilem, vel ob jocum, curioſitatem, aut animi lëvitatem, ſecluſa delectatione venerea, nec non periculo ulterioris conſenſus, timendum ſemper eſt, quod hæc opinio non ſit practice probabilis, maxime poſt ſequentem propoſitionem damnatam ab Alexandro VII. quæ ordine num. eſt 40. *Eſt probabilis opinio, quæ dicit eſſe tantum veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur. ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis.*

2. Joannes á Sanctiſsima Trinitate ſect. 2. dub. 13. per totum, Portel. in addit. ad dub. regul. verb. Solicitare fœminas, num. 4. Souſa de Confeſſar. ſolicit. tract. 1. num. 7. & in Aphor. Inquiſit. lib. 1. cap. 33. n. 4. Lupus de Edict. Inquiſit. part. 1. lib. 5. diſt. 2. artic. 1. difficult. 3. Gaſpar Hurtado de Juſtitia, tract. de judic. forenſ. diſp. 2. difficult. 7. Joſeph à Januario de caſibus reſervat. reſolut. 56. Caſtro Palaus de Confeſſ. ſolicit. punct. 3. & Pellizarius tract. 8. cap. 6. ſect. 1. num. 27. ut probabile judicarunt, dari parvitatem materiæ in ſolicitatione. Verum communis Doctorum hoc negat, & aliqui ex eis vocant hanc ſententiam periculoſam, alij aperientem viam fraudibus, ut videri poteſt apud Carenam, Matthæuci, Sabinum Bonon. Taboada, Gaſparem á Sancto Nicolao, & alios paſsim: Qui ultimus dub. 22. num. 152. aſſerit, quod multi ſentiunt præfatam opinionem, omni carere probabilitate; alij non poſſe ſubſtineri; alij eſſe omnino falſam, & omni cenſura dignam; alij poſſe Dominos Inquiſitores procedere contra defenſores illius: Quia Paulus III. dedit illis facultatem procedendi contra quoſcumque docentes propoſitiones ſcandaloſas, & periculoſas: Pro quibus omnibus citat Thomam Delbene de Offic. Inquiſit. part. 2. dub. 237. ſect. 3.

3. Cæterum etſi Delbene ex parte cum doctrina ejus coincidat, non tamen in omnibus, ut patebit ipſum accurate legenti, præſertim num. 13. & magis expreſſe num. 15. Immo in illis in quibus ambo conveniunt, judico quod reſolvunt ex-

tra

tra caſum quæſtionis, nam uterque videtur loqui in caſu alicujus delectationis venereæ; & quod in delectatione venerea nulla ſit levitas, vel materiæ parvitas, jam hodie à nemine dubitatur, poſt propoſitionem damnatam â SS. Alexandro de qua ſupra memini. Quæſtio igitur non debet ventilari de delectatione, præſertim venerea, ſed de ſolicitatione, vel de ſignis, aut verbis, quæ præſumuntur ſolicitatio. In quo ſenſu, noſter Didacus Gonzalez Matthæo tract. 23. de Pœnit. §. 22. num. 314. noviſsime hoc dubium proponit, etſi perfunctorie, opiniones refert, & nihil reſolvit. Quapropter tanti Viri ſequendo veſtigia, quæſtionem in §§. dividam. In primo adducam fundamenta ſuadentia dari ſolicitationem levem. In ſecundo, poſtquam fundamenta contrariæ opinionis referam, omnibus ſolutionem dabo.

§. I.
Proponuntur fundamenta affirmativæ.

4. PRob. 1. Verbum, vel ſignum, ex ſuo genere leve, nullo jure fit grave intra Sacramentum Pœnitentiæ; ſed in materia inhoneſtitatis dantur verba, & ſigna ex ſuo genere levia: Ergo qui per illa ſolicitat intra Sacramentum Pœnitentiæ, leviter tantum ſolicitat. Prob. maj. ſi quod leve eſt in materia inhoneſtitatis, aliquo jure fieret grave intra Sacramentum Penitentiæ, maxime eſſet jure poſitivo Eccleſiaſtico; ſed tali jure non fit grave: Ergo manet leve. Min. probatur: Ad hoc ut quod leve eſt in materia inhoneſtitatis, fieret grave intra Sacramentum Pœnitentiæ jure poſitivo Eccleſiaſtico, opus erat, quod in decretis, & Bullis Summorum Pontificum, defineretur ut grave; ſed nec Pius IV. nec Clemens VIII. nec Gregorius XV. nec Benedictus XIV. talem expreſſam definitionem faciunt: Ergo quod leve eſt in materia inhoneſtitatis intra Sacramentum Pœnitentiæ, non fit grave jure poſitivo Eccleſiaſtico. Maj. prob. Tum, quia nullus cenſetur voluiſſe, quod non expreſsit, ut dicitur C. 12. de decim.

cim. Tum, quia non expreſſa non nocent, ut habetur L. 195. ff. de reg. jur. Ergo cum Summi Pontifices nunquam expreſſerint, quod verbum, vel ſignum ex ſuo genere leve, fiat grave intra Sacramentum Pœnitentiæ, videtur quod ſequitur naturam ſuam, & quod ſemper manet leve.

5. Confirmatur: Quia Sanctiſsimus Benedictus XIV. qui in ſua Conſtitutione modos ſolicitationis ad inhoneſta, & turpia, magis expreſſe indicavit, dicit, quod ſolicitatio fieri poteſt ſive verbis, ſive ſignis, ſive nutibus, ſive tactu, &c. Atqui expreſſe dicere potuit, ſive verbis levibus, ſive ſignis levibus, ſive nutibus levibus, ſive tactu levi, &c. Ergo cum hoc non dixerit, videtur quod noluit in ſua Conſtitutione comprehendere illa, quæ ſunt ex ſuo genere levia. Et roboratur: Quia infligere pœnas pro peccato veniali, cum ſit quid jure poſitivo inſolitum, debet expreſſe conſtare in lege, ut habeatur pro diſpoſitione canonica; ergo cum Summus Pontifex nec minimam expreſsionem faciat de verbis, vel ſignis levibus, iſta non videntur in Conſtitutione comprehenſa. Urgetur: Quia de facto nullum eſt peccatum veniale reſervatum á Papa, etſi illa reſervare poſsit, ut cum Conninch, Laimam, & Palao defendunt PP. Salmanticenſes tom. 1. de Sacram. Pœnit. tract. 6. cap. 13. punct. 2. num. 10. & hoc ideo, quia nullibi talis reſervatio reperitur expreſſa; atqui nullibi reperitur expreſſum, quod verbum, vel ſignum leve ſint ſolicitatio gravis: Ergo attento jure poſitivo Eccleſiaſtico, videtur dicendum, quod tale verbum, vel ſignum non eſt in Conſtitutionibus comprehenſum, nec per conſequens denunciandum.

6. Prob. 2. Ratio cur Summi Pontifices mandant denunciandos, & puniendos eſſe Confeſſarios ſolicitantes, eſt, quia alliciendo, & provocando pœnitentes ad actus inhoneſtos, & turpes, eos onerant graviori peccatorum mole, & in manus Diaboli tradunt, dum pro medicina venenum, & pro pane aſpidem porrigunt, cum eis antidotum ſalutis propinare deberent: Qua de cauſa Gregorius XV. crimen ſolicitationis, quod denunciare jubet, impium, & nefandum vocat; & Sacerdotem

com-

committentem illud, infernalem, beneficum, & proditorem execrabilem appellat. Benedictus XIV. qui tali crimen exceſſum nefarium nominat, dicit, Confeſſarium ſolicitantem porrigere pœnitentibus, pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro piſce ſerpentem, & pro medicina venenum: Sed hæc omnia non videntur convenire verbo, vel ſigno ex ſe levi, cum per iſta, nec pœnitens tradatur in manus Diaboli, neque ei propinetur venenum, ſaltem mortiferum, de quo loquitur Pontifex, neque oneretur graviori peccatorum mole: Ergo quia neutra ex his Conſtitutionibus loquitur de verbo, aut ſigno levi.

7. Prob. 3. Ideo Confeſſarij ſolicitantes ſunt denunciandi, quia præſumuntur ſuſpecti de fide; ſed ex verbo, vel ſigno ex ſe levi, non poteſt hæreſis præſumptio deduci: Ergo per verbum, vel ſignum leve inhoneſtum, non eſt denunciandus Confeſſarius. Maj. conſtat in illis verbis Conſtitut. Pij IV. *Nos in animum inducere nequeuntes, quod qui de fide Catholica recte ſentiunt, Sacramentis in Eccleſia Dei inſtitutis abutantur, aut illis injuriam faciant.* Prob. nunc min. Ex levi furto rei Sacræ, non bene deducitur ſacrilegium, neque ex levi percuſsione Clerici, recte infertur excommunicatio: Ergo neque ex verbo, vel ſigno levi recte preſumitur præſumptio de hæreſi.

8. Prob. ultimo: Denunciatio eſt pœna gravis, ſed pœna gravis, non eſt imponenda pro delicto levi, ut conſtat C. non cogantur 41. diſt. 4. ergo quando omnibus rite, & prudenter examinatis, verbum, vel ſignum, quo Confeſſarius præſumitur ſolicitare, non eſt, niſi leve, aut peccatum veniale, tunc non videtur denunciandus.

§. 2.

Proponuntur, & reſolvuntur fundamenta negativa.

9. PRob. 1. Etſi aliquod verbum, vel ſignum inhoneſtum ſit ex ſuo genere leve, tamen dum intra Sacramentum Pœnitentiæ committitur, amittit naturam ſuam,

&

& ſit grave, contra virtutem Religionis, ob injuriam, quæ Sacramento irrogatur: Ergo cum gravitatem accipiat á Sacramento, Confeſſarius ſolicitans per tale verbum, vel ſignum, non leviter, ſed graviter ſolicitat. Ant. eſt Achiles hujus ſententiæ, & ex hoc inferunt ejus Aſſertores, quod verbum, vel ſignum ex ſe leve in genere inhoneſtitatis, non eſt prohibitum intra Sacramentum præciſſe quia malum, ſed ob irreverentiam Sacramenti: Et probatur hoc hac paritate: Etiamſi modicum cibi ex ſuo genere ſit quid leve, illud ſumere ante Euchariſtiam, eſt quid grave, eſtque mortale ſacrilegium in materia Religionis: Ergo etſi verbum, vel ſignum inhoneſtum ex ſuo genere ſit quid leve, tamen dum intra Sacramentum Pœnitentiæ committitur eſt quid grave, & ſacrilegium, contra virtutem Religionis.

10. Confirmatur 1. Etſi verbum leve prolatum contra plebejum ſit dumtaxat peccatum leve, tamen ſi profertur contra Epiſcum, eſt peccatum mortale, eo quod gravitatem accipiat á dignitate perſonæ injuriatæ: Ergo etiam verbum aut ſignum inhoneſtum leve, dum intra Sacramentum committitur, gravitatem accipit â dignitate, & Sanctitate Sacramenti contemptis. Confirmatur 2. Qui in ducit Sacerdotem eximiæ perfectionis ad proferendum mendacium leve, non leviter, ſed graviter peccat: Siquidem, ex quo dejiciatur ab excellente gradu perfectionis, in quo ſupponitur vigilans ad omnia venialia deliberata vitanda, amittit fervorem charitatis, & grave nocumentum ei infertur: Ergo idem quod prius. Confirmatur 3. Etſi parum aquæ vino miſcendæ in Miſſa, levis materia ſit, tamen eam ſcienter omittere, eſt crimen grave, in ordine ad Sacramentum: Ergo á ſimili in caſu quæſt.

11. Prob. 2. Opinio admittens ſolicitationem levem, aperit viam fraudibus: Ergo eſt periculoſa, & nullomodo toleranda. Prob. ant. Quia vel pœnitens per actus inhoneſtos leves Confeſſarij conſentit, vel non conſentit? Si primum, Confeſſarius habuit intentum. Si ſecundum, tunc ſubterfugiet denunciationem ob parvitatem materiæ: Ergo aperit viam fraudibus, & præbet anſam impune ſolicitandi.

12. Prob. ultimo: Tum, quia in praxi Sancti Officij, tam Inquiſitionis Romanæ, quam Hiſpanæ, non admittitur ſolicitatio levis: Nam in utraque, hujuſmodi ſolicitantes puniuntur: Tum, quia in vi cujuſdam decreti Alexandri VII. denunciandi ſunt Dominis Inquiſitoribus omnes hæretici, & de hæreſi leviſsime ſuſpecti; ſed leviter ſolicitans ad turpia, eſt ſaltem leviſsime ſuſpectus de hæreſi: Ergo eſt denunciandus.

13. Sed his non obſtantibus, ſi defenſurus eſſem ſententiam aſſerentem dari parvitatem materiæ in ſolicitatione, reſponderem ad primum fundamentum: Neg. ant. & paritatem probationis. Diſparitas eſt; quia nullibi reperitur comprehenſio ſolicitationis levis, ſub pœna denunciationis in Conſtitutionibus Pontificijs. At in rubricis Miſſalis, & in Concilio Toletano VII. prohibitur communio *poſt cibum, vel potum quantumvis minimum*, ut teſtatur Noſter Delgadillo, de Euchar. cap. 3. dub. 3. Taceo hic, non peccare mortaliter, nec ſacrilegium committere, qui aliquas gutas aquæ præter intentionem trajiceret ante Euchariſtiæ ſumptionem: Nec qui trajiceret oſsiculum, chartam, aliquid ligni, ſeu aliquid ex unguibus; quod ad Mulieres comedentes terram, extendunt Leander, & Paſqualigus. Immo nec ille, qui ante mediam noctem aliquid ſachari ori imponit, & partim ante, partim vero poſt mediam noctem trajicit; ut docet citatus Author cum Diana, & alijs. Accedit, quod etſi argumentum probaret quantum ad ſolicitationem factam in Confeſsione actuali, non tamen probat quantum ad ſolicitationem factam, ſimulando Confeſſionem, ut advertit Verricellus infra citandus diſp. 3. caſu 1.

14. Ad primam confirmationem dico, quod non omne verbum leve prolatum contra Epiſcopum, eſt peccatum mortale, ut de ſe patet, ſed ſolum quando licet verbum ſit ex ſe leve, graviter tamen, etſi per accidens, dignitatem ejus contemnit; quamvis facilius poſsit contingere hoc, dum profertur contra Epiſcopum, ac dum profertur contra plebejum. Sic etiam fateor, quod verbum, vel ſignum inhoneſtum ex ſuo genere leve, facilius reddi poteſt grave intra Sacramentum

Pœnitentiæ, quam extra Sacramentum; in quo caſu, plane concederem, quod eſſet ſolicitatio gravis, ſaltem per accidens, & ut talis denuncianda. Quod autem non videtur concedendum eſt, quod hoc ſemper contingat. Quoniam, ſi verbũ, vel ſignum leve ſemper fieret grave, quia intra Sacramentum committitur, etiam mendacium leve, vel impatientia levis fieret intra Sacramentum gravis; ex quo, vel retorqueri poteſt argumentum, vel detur diſparitas. Si dicis, quod hæc præciſſe prohibita ſunt quia mala, ac per conſequens, etſi commiſſa intra Sacramentum, ſemper ſequuntur naturam ſuam; hoc falſum eſt, nam aliquando intra Sacramentum fieri poſſunt per accidens gravia, & amittere naturam ſuam, ut dum quis mendacijs levibus ex ſe, vel impatientijs levibus ex ſuo genere, provocaret ſcienter Confeſſarium, ut iraſceretur graviter, vel ad alium gravem deffectum.

15. Ad ſecundam confirmationem patet ſolutio in ipſo argumento; quandoquidem nocumentum grave alicui inferre, abſque dubio eſt peccatum mortale: Ergo inductio Sacerdotis eximiæ virtutis ad mendacium leve, quo amittat fervorem charitatis, etſi ſit levis ex ſuo genere, conſurgit gravis per accidens, ob grave nocumentum, quod Sacerdoti irrogatur: Ad confirmationem tertiam reſpondeo, quod de modica aqua, vino miſcenda in Miſſa, non ſolum datur præceptum Eccleſiaſticum, ſed etiam divinum, ut præter Tridentinum aſſerens, quod ſic ſemper intellexit Eccleſia, colligitur ex illis verbis Prov. 9. *Bibite vinum, quod miſcui vobis.* At, nullo jure conſtat, quod ſolicitatio levis, intra Sacramentum Pœnitentiæ, fiat gravis, nec de certa obligatione denunciandi eam, ut patet ex dictis.

16. Ad ſecundum fundamentum reſponderi poteſt, negando, quod hæc opinio aperiat viam fraudibus, loquendo de verbo, vel ſigno, quod omnibus rite undequaque examinatis, tam per ſe, quam per accidens, metas levitatis non tranſcendit: Licet hoc plane concederem, ſi per ſolicitationem levem aliquis intelligeret aliqua verba, vel tactus, qui vel impoſ-

poſsibiles ſunt ſine delectatione venerea, vel proxime diſponunt ad illam, ut videntur loqui aliqui ex antiquis.

17. Ad ultimum prob. reſp. quod aliud eſt loqui de foro interno, & aliud de externo. In foro externo punitur quælibet actio ex qua præſumitur delictum prohibitum in lege, ne delicta impunita maneant. In foro autem interno non attenditur ad præſumptionem, ſed ad veritatem; quare ſi prudenter judicatur, quod factum eſt alienum à fine mortali, non eſt curandum de præſumptione contraria.

18. Ad fundamentum deductum ex decreto Alexandri VII. reſp. quod laborat in æquivoco. Nam in dicto decreto, quod incipit: *Licet alias*, & expeditum fuit ann. 1660. non loquitur Summus Pontifex de leviſsime ſuſpectis de hæreſi, ſed de leviter ſuſpectis. Quare, ſi per particulam *leviſſime* intenditur aliquid minus, quam *liviter*, eſt manifeſta æquivocatio. Tum, quia ſolicitans per verbum, vel ſignum leve, tam ex ſe, quam per accidens tale, non videtur leviter ſuſpectus de hæreſi, ex dictis num. 7. & ſic ſentit Bordonus in Manual. ſect. 16. num. 88. quatenus aſſerit, quod ad inducendam ſuſpicionem hæreſis, requiritur peccatum mortale: Et repetit ſect. 25. num. 130. etſi parvitatem materiæ in ſolicitatione non admittat. Quibus addendum videtur, quod ſolicitans per verbum, vel ſignum inhoneſtum grave, non eſt regulariter loquendo, niſi leviter de hæreſi ſuſpectus, & de levi tantum abjurat Inquiſitionibus Hiſpaniæ: Ergo ſi ſolicitans per verbum, vel ſignum leve, eſſet etiam leviter de hæreſi ſuſpectus, nulla eſſet differentia quo ad præſumptionem, vel ſuſpicionem hæreſis inter has ſolicitationes, ſeu inter culpam gravem, & levem. Dixi *regulariter* loquendo, quia contingere poteſt, quod ſolicitatio tales enormes circumſtantias habeat, ut adhuc in Hiſpania reddad Confeſſarium ſuſpectum de vehementi. Videatur noſter Becerra de hæreſi quæſt. 5. §. 2. num. 141. ubi refert ex Eſcobar quendam caſum ad intentum, de quodam Confeſſario, qui in actu Confeſsionis Matrem, & tres filias virgines ſolitavit, & turpiter cognovit.

19. Hinc,

19. Hinc, ut aliquid de meo dicam, duo ſunt per oculis habenda. Primum eſt, quod propoſitiones damnatæ nullo modo, adhuc diſputative, defendi poſſunt; & oppoſitum facientes, præter alias pœnas excommunicati ſunt, ut colligitur ex Decretis S. Congregat. Sancti Officij emanatis ann. 1665. 1666. 1679. 1690. Secundum eſt, quod opiniones quæ controvertuntur ut probabiles nequaquam ſunt cenſurandæ, ut præcipit Innocentius XI. in quodam Decreto publicato die 4. Martij ann. 1679. Et Tribunal S. Inquiſitionis generalis Hiſpaniæ in alio Decreto publicato die 9. Martij ann. 1634. quod confirmatum fuit die 3. Junij ann. 1688. In facti contingentia, ſi tibi nihil grave conſtaret fuiſſe â Confeſſario intentum, per verbum, vel ſignum monerem te, me ſubmittendo Doctoribus, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſicut, & Judicibus fidei, ut duo adverteres in caſu. Primum, quod actus non operatur ultra agentium intentionem, ut conſtat L. 19. ff. de reb. credit. Secundum, quod Æternus Judex, qui juſtitias judicabit, & de minimo verbo otioſo rationem quæret judicium ponit in pondere, & menſura. Præter Authores ſupra citatos pro opinione benigna conſuli poſſunt D. Inquiſitor Eſcobar part. 1. q. 3. § 2. n. 10. Boſsius de jub. in Appen. dub. 18. n. 55. Tancredus de Pœnit. tract. 10. quæſt. 10. Dr. Euphrates part. 1. punct. 24. n. 194. Thom. Hurtado tract. 4. cap. 8. §. 3. & 4. Antonius â Spiritu Sancto, tract. 5. diſp. 18. ſect. 4. §. 3. num. 1445. Barnabas Gallego apud Pintre ad hanc quæſt. & noviſsime Ligorius lib. 6. tract. 4. cap. 3. in Append. num. 683. Non ergo videtur temeraria opinio, quæ â tot Doctoribus amplectitur, & in limitatione, qua hic proponitur, fundamento fulciri videtur.

QUÆSTIO 12.

An ſi per verbum, vel ſignum ex ſe leve, rationabiliter præſumitur, Confeſſarium voluiſſe graviora perpetrare, ſit talis Confeſſarius denunciandus?

1. RESp. affirmative. Ratio eſt: Tum, quia in tali caſu, certe ponit ſtudium, & diligentiam ad turpia-

pia. Tum, quia per tale verbum, vel ſignum, animus ejus libidinoſus exterius aliquomodo manifeſtatur. Tum, quia talis ſolicitatio non eſt dicenda levis, ſed gravis, ob finem gravem, quem reſpicit, & ex intentione graviter peccaminoſa operantis.

2. Objicies: Si in caſu eſſet obligatio denunciandi, Confeſſarij ſubirent magnum periculum infamiæ, & expoſiti eſſent quam plurimis incommodis; ſiquidem contingere poteſt, quod Confeſſarius per tale verbum, vel ſignum, nihil mali intendat, & quod judicium hominum judicantium oppoſitum, plane fallatur; ſed recta ratio his omnibus opponitur: Ergo. Maj. prob. poteſt ex cap. A nobis 28. de ſentent. Excom. ubi dicitur: *Judicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur ſemper innititur: Judicium autem Eccleſiæ* (hoc eſt Eccleſiaſticum) *nonnunquam opinionem ſequitur, quam & fallere ſæpe contingit, & falli. Propterquod contingit interdum, ut qui ligatus non eſt apud Deum, Eccleſiaſtica ſit ſententia innodatus.*

2. Reſp. 1. Reſolutionem non procedere in caſu, quo, ex verbis, vel ſignis levibus Confeſſarij, dubitatur, an ſolicitaverit, vel non ſolicitaverit pœnitentem. De his enim dicetur infra, in reſolutione primi caſus. Reſp. 2. quod præſens reſolutio procedit in caſu, quo rationabiliter præſumitur finis graviter peccaminoſus, vel intentio graviter culpabilis Confeſſarij: Quod autem rationabiliter præſumitur, habetur pro vero, ſaltem moraliter, ſicque locum non habent in præſenti, quæ objecta ſunt.

4. Sed quæres: Undenam rationabiliter dignoſci poteſt, quod Confeſſarius graviter delinquit, quando verbum, vel ſignum, quo præſumitur ſolicitare, eſt tantum leve? Reſp. quod hoc ex pluribus poteſt cognoſci. Tum, ex antecedentibus; quia difficile eſt, quod bono peragantur exitu, quæ malo ſunt inchoata principio, ut dicitur C. 5. d. 61. Tum, ex circumſtantijs rei; quia multoties ad veritatem pervenire non poſſumus, niſi facti circumſtantijs attentis, ut habetur C. 14. 32. q. 5. Tum, ex exitu rei; quia præterquamquod verbum, vel ſignum indifferens ſpecificatur à fine, quem contrahit, vulgare eſt,

eſt, quod exitus acta probant, ut patet L. quidem ff. de reb. dub. Accedit proverbium illud, *amor, & tuſſis celari non poſsunt.*

5. Adverto in fine, quod curet Confeſſarius in his omnibus ſe caute portare; alias, cum peccatum carnis ſit valde lubricum, & indeteriorem partem interpretandum, ex cap. pernicioſum 18. q. 2. & ex cap. Clericus diſt. 81. facile denunciabitur, & punietur. Etſi Confesſionalia non ſunt decenter diſpoſita, vel ſunt partim diſrupta, ut ſatis frequenter contingit in parvis populis, & in Capellis foraneis, inſtet pro eorum compoſitione, antequam Confesſiones fœminarum excipiat in eis; ne forte, præbente occaſione incuria loci, brachium fœminæ tangat, vel manu inadvertenter premat, aut quid ſimile ei contingat. Cum enim Mulieres facillime ſint ad judicandum, quod quodcumque ſignum, quamtumvis indifferens, vel fortuitum, dirigatur ad alliciendum eas ad turpia, non ſemel contingit, ut ex fortuitis, in quibus nec minima poteſt malitia præſumi, putarent ſe eſſe á Confeſſarijs ſolicitatas, ſumendo inde motivum ad ſemel, & iterum interrogandum alios Confeſſarios, an tenerentur ad denunciationem faciendam? Quod conſulo experientia didici, & ſcio, quod alij id ipſum experti ſunt.

PROPONUNTUR, ET RESOLVUNTUR aliqui caſus pertinentes ad hanc diſputationem.

CASUS 1.

Cum Fabia confiteretur cum Mevio, dixit ei Mevius aliqua verba, eique fecit aliqua ſigna, quibus in dubium incidit, an ſolicitaret eam. Caſum conſuluit viro docto, qui omnia non ſemel accurate perpendens, omnibusque paraſangis examinatis, etiam manet dubius an ſolicitaverit, vel non ſolicitaverit eam? Eſt ne Mevius denunciandus?

1. CAſus hic difficultatem tangit, quæ paucis lineis decidi non poteſt. Quapropter, reſpondet 1. Salman.

manticenſes, quod quando ſolicitatio eſt certa, & dubitatur, an Confeſſarius illam commiſſerit, tunc datur obligatio denunciandi. Sed hæc ſententia, quam docent. punct. 4. num. 93. melius percipietur ex dicendis.

2. Reſpondent 2. A Corro pag. 139. â num. 14. & Prado tom. 1. cap. 10. quæſt. 3. num. 6. quod ſi Confeſſarius eſt malæ famæ, & rebus inhoneſtis deditus, denunciandus eſt in caſu ſolicitationis dubiæ: Non vero ſi eſt clari nominis, & opinionis.

3. Reſp. 3. Trullench lib. 1. C. 3. dub. 18. n. 44. Diana part. 4. tract. 5. reſol. 25. & Delbene part. 2. dub. 237. ſect. 3. num. 15. abſolute affirmando, quod ſolicitatio dubia denuncianda eſt. Sed his non obſtantibus.

4. Reſp. 4. Valde probabile eſſe, ſi non eſt probabilius, quod ſtando in terminis rigoroſi dubij, nimirum, quando non ſunt validiores rationes pro credenda ſolicitatione, quam non credenda, non eſt obligatio denunciandi Confeſſarium. Sic Bordonus in Manuali ſect. 25. num. 108. quem ſequitur Roncaglia de Sacramento Pœnitentiæ tract. 19. quæſt. 8. quæſit. 4. Et ſic ſentiunt Salmanticenſes de præcept. Decalog. tract. 21. cap. 4. n. 94. Gaſpar â Sancto Nicolao dub. 23. & apud ipſum Giribaldus, & alij ſatis communiter.

5. Ratio eſt: Tum 1. Quia jura univerſaliter volunt, dubia in meliorem partem eſſe interpretanda; c. 2. de reg. jur. in 6. Tum 2. Quod in dubio de nullo delicto præſumatur. L. 15. ff. pro ſocio. Tum 3. Quod in dubijs benigniorem interprætationem ſequi, non minus ſit juſtum, quam tutum. L. proxime, ff. de his, quæ in teſt. Tum 4. Quod dubia ita benigne interpretentur, ut benignior interpretatio preferatur. L. ſemper 56. ff. de reg. jur. Tum 5. Quod dum jura partium ſunt obſcura, potius faveatur reo, quam actori. C. 2. ſtote miſericordes de reg. jur. Tum 6. Quod quando dictum eſt obſcurum, vel factum eſt ambiguum, tunc accipiendus ſit ſenſus, qui delictum excludit. L. ſi quis intentione ff. de judic. Tum 7. Quod in ambigua voce accipienda ſit ſignificatio,

 quæ

quæ vitio caret. L. in ambiguis ff. eodem. Tum 8. Quod dictum obſcurum, habeatur pro non dicto, ut teſtatur Gloſſa cap. ſi teſtes. §. in teſtibus, verbo ſimpliciter. Tum 9. Quod verba non ſunt accipienda captioſe contra proferentem. L. Proculus ff. de uſufruct. Et denique probari poteſt ex eo, quod delictum dubium non debet haberi, ut delictum, ut probat Sanchez apud citatos Salmanticenſes, qui concludunt quod Edicta Sanctæ Inquiſitionis non præcipiunt delicta dubia denunciare.

6. Addo autem ex Roncaglia, hæc non habere locum, quando ſunt vehementia indicia ſuadentia ſolicitationem; quia quamvis verba dubia, in cauſis fidei, in ſenſu Catholico ſint interpretanda, ut docet Menochius L. 2. conſult. 82. num.10. & Reminal. L. 4. conſ. 686. num. 6. interpretari debent in ſenſu hæretico, dum occurrunt vehementia indicia per ea fuiſſe hæreſim explicatam, & ſic etiam docet Peña in Direct. Coment. 3 ℣. verumtamen.

7. Adduco in fine ſequentia verba ex Bordono, tom. 1. cap. 23. num. 59. Mulieres, cautæ ſint, in denunciandis Confeſſarijs, quando eorum verba poſſunt trahi in bonum ſenſum: Conſulant viros doctos, & timoratæ conſcientiæ, ne ſine cauſa infament Confeſſarios, & in dubio abſtineant.

CASUS 2.

Cum Onufrius exciperet Confeſſionem Segiſmundæ, laudavit eam de pulchritudine. Quo facto incidit Segiſmunda in ſcrupulum, an teneatur denunciare illum? Quod quæritur eſt: Quis Segiſmundæ conſulendum ſit?

1. UT certa ab incertis ſeparemus, notandum eſt, nullo modo denunciandum eſſe Confeſſarium, qui ſermone dulci, ac ſuavi curat, ut pœnitens puſilanimis, & maximis culpis implicatus, adaperiat ſecreta cordis, & oculta conſcientiæ ſuæ. Verba enim ſuavia, non aliena, ſed propria ſunt Miniſtri Domini, modo ſuavitas ſit honeſta, pura, ſeria,

& ſancta, ut poſt Taboada §. 2. num. 18. advertit Gaſpar à Sancto Nicolao dub. 10. num. 97. Ratio eſt in promptu, quia in ſimilibus verbis nullus animus libidinoſus Confeſſarij exterius manifeſtatur.

2. Reſp. nunc 1. Quod juxta Bonacinam, Barboſa, Trullench, Dianam, & alios cum Bordono in Manual. ſect. 25. num. 75. Onufrius denunciandus eſt in caſu. Ratio eſt, quia talibus verbis Mulieres facile ad libidinem provocantur.

3. Reſp. 2. Quod juxta Thomam Hurtado, Fagundez, Taboada, & Delbene cum alijs, Onufrius non eſt denunciandus. Ratio eſt, quia fœminam de pulchritudine laudare, non eſt ex ſe peccatum mortale, alias talis laudatio nunquam liceret. Immo dicit Delbene dub. 237. ſect. 3. num. 26. quod talis laus, neque de ſe eſt actus inhoneſtus, nec directus ad inhoneſtum. Idemque docent Souſa, Freytas, Portel, & alij.

4. Reſp. 3. Cum diſtinctione, & dico, quod ſi apparet finis honeſtus talis laudis tunc non eſt denunciandus. Attamen ſi talis finis non apparet, tunc denunciandus eſt. Sic ſentiunt aliqui cum Salmanticenſibus; qui credunt, quod hac diſtinctione, Authores utriuſque opinionis, in unum coincidunt. Hinc reſolvit Bordonus, tom. 1. cap. 23. num. 54. quod Confeſſarius, qui fœminæ conquærenti de adulterio Mariti, dixiſſet: *Tibi facit injuriam, cum juvenis ſis, & valde pulchra;* non eſſet denunciandus. Verum qui dixiſſet Mulieri: *Ita pulchra es, ut te in uxorem acciperem, ſi non eſſem voto ligatus;* denunciandus eſſet: Nam in hoc caſu nullus apparet finis honeſtus laudandi, & talia verba callide alliciunt, & incitant ad venerem. Videatur Gaſpar á Sancto Nicolao dub. 11. per totum, qui num. 10. addit, quod cum quædam fœmina denunciaſſet quendam Confeſſarium, Inquiſitor interrogavit eam, *quibus verbis, & modis fuiſti ab eo ſolicitata?* Et cum illa reſpondiſſet, quod Confeſſarius eam vocavit pulchram, tunc Inquiſitor replicavit facetè: A Confeſſario fuiſte decepta, nec in poſterum pulchram te reputare debes, & quod ſic irriſa, dimiſſa eſt. Caſum hunc, vel ſimilem referunt Pintre, & Joann. à Sanct. Trinit. ſect. 2. dub. 9. n. 2. ex Freytas in addit. ad Acuñam q. 7. n. 45.

CASUS 3.

Cum Petronila confiteretur cum Sirvio, viro loquaci, & ſcurrilitatibus dedito, ſe accuſavit, quod frequenter patiebatur vehementes tentationes peccandi cnm eo. Sirvius enim, qui ultra dicta, his rebus erat valde tradditus, in continenti, & abſque aliqua conſideratione, protulit verbum ex ſe ad præfata inductivum: Hiſpane: Cumplirlas. *Continuavit fœmina ſuam Confeſſionem, qua peracta, receſſit; quim nec tunc, nec poſtea Confeſſarius habuiſſet alium ſermonem cum illa: Quæ non ſolum, ut ipſa teſtata fuit, non fuit provocata per verbum:* Cumplirlas: *Sed ex tunc, prorſus libera manſit à tentationibus relatis. Nihilominus quærit Petronila, ſi tenetur ad denunciandum Sirvium.*

1. CAſum hunc proponit Joann. â Sanctiſsima Trinitate, ſect. 3. dub. 9. num. 4. & reſpondet, quod conſulti de hac re viri docti, judicaverunt, talem Confeſſarium non eſſe denunciandum. Quia licet verbum, *cumplirlas*, ab ipſo prolatum, videatur ex ſua ſignificatione, inductivum libidinis, & luxurioſæ executionis, tamen ex circumſtantijs adjunctis conſtitit, Confeſſarium id non intendiſſe. Ex abrupto etenim, ac inconſiderate, & quaſi impulſus ab aſuetudine ad facetias, & ſcurrilitates, verbum illud protulit, atque eructavit. Non ergo cenſendus eſt reus, qui ex abrupto, inconſiderate, & quaſi motu primo delinquit contra legem: Neque pœna legis puniri debet, qui â culpa, ſub ea ratione malitiæ, qua â lege prohibetur, liber eſt, ut conſtat cap. ſine culpa de reg. jur. in 6. eſtque communis Juris peritorum Sententia.

2. Sed Gaſpar à Sancto Nicolao, dub. 10. num. 98. ait: Quod non poteſt approbare hanc reſolutionem, prout jacet, & concludit, quod ſuo videri, prædictus Confeſſarius debuiſſet ſubiri acriſsimam reprehenſionem arbitrio Dominorum Inquiſitorum, vel Prælatorum ſuorum, & illum obligare, ut ab audiendis Confeſsionibus abſtineret, ut ſic periculum vitaret loquendi talia, in Confeſsione. Tum, quia qui amat periculum, peribit in illo; & qui tetigerit picem, inquinabitur ab

ea.

ea. Tum, quia Confeſſarius aſuetus facetijs, & ſcurrilitatibus, indignus eſt tali, & tam Sancto Miniſterio.

3. At, licet hæc docte, & caute ad intentum dicta ſint, adhuc manemus in dubio, utrum in caſu expoſito, Sirvius abſolute denunciandus ſit Dominis Inquiſitoribus? Quapropter judico, ſi non multum fallor, quod ſi certo conſtaret tale verbum prolatum fuiſſe ab eo inconſiderate, inadvertenter, & ex abrupto, tunc non deficere Theologos, qui ipſum á denunciatione liberent. Tum, quia notum eſt illud principium, quod res, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit, ex cap. cognoſcentes, D. Conſtitut. Et inſpecta facie caſus, nulla apparet in Sirvio culpa, ſaltem formalis. Tum, ex illis verbis Conſtitut. Benedictinæ, *aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, vel tractatus, auſu temerario habuerint.* Quod autem inconſiderate, inadvertenter, & ex abrupto dictum eſt, auſu temerario non videtur prolatum. Accedit, quod prædicator, qui ex abrupto eructavit hæreſim, non eſt denunciandus ut hæreticus, ut communiter docent Authores.

4. Diſsimilis huic eſt ille caſus, quem adducit Souſa tract. 1. cap. 18. num. 14. ſcilicet, quando fœmina in Confeſsione animum libidinoſum, ſive circa Confeſſarium, ſive quemcumque alium manifeſtat, & Confeſſarius dicit ei: *De hoc poſt Confeſſionem erit nobis ſermo;* & Confeſsione terminata, eam ad libidinem allicit. In hoc caſu, inquit prædictus Author, puniendus eſt Confeſſarius, ut verus ſolicitator: Nam dependentia, quam actio ſolicitandi habet â Confeſsione, ſeu â rebus in Confeſsione actis, facit quod ſolicitatio, Confeſsioni non videatur extranea.

5. Noſter autem Bordonus, in Manual. ſect. 25. num. 70. & alij judicant, quod talis Confeſſarius non eſt reus ſolicitationis, eo quod talia verba ex ſe ſint indifferentia, & ambigua; immo, ſi res bene perpenditur, videtur per illa verba aliquomodo ſolicitationem ſuſpendi: Vel quod potius ſint deteſtatio ſolicitationis, quam ſolicitatio; quæ deinde, ex nova diabolica tentatione evenire poteſt: Quæ reſolutio procedit

in

in caſu, quo attentis circumſtantijs, verba non ſint reſpectu fœminæ determinata ad pravum finem Confeſſarij, ſeu ſatis expreſsiva ejus malæ voluntatis.

6. Joannes vero â Trinitate viam mediam videtur eligere, & judicat, quod in tali caſu interveniat vera ſolicitatio comprehenſa in Conſtitut. ſi Confeſſarius fœminam ad libidinem allicit immediate poſt terminatam Confeſsionem, aut ſi ſolicitatio parum â Confeſsione diſtat. Videatur, ſi placet in dub. 9. ſupra citato circa finem: Ubi etiam aſſerit, quod ſi Confeſſarius poſt peractam Confeſsionem, fœminam non ſolicitat, minime cenſendus eſt ſolicitator per illa verba: *De hoc poſt Confeſsionem erit nobis ſermo.* Ratio eſt, quia prædicta verba ſunt ex ſe ambigua, & accipi poſſunt in bonam partem. Poterat enim Confeſſarius, Confeſsione finita, agere, vel tractare cum fœmina, qualiter ab ipſa repellendus eſſet, vel mortificandus ille animus libidinoſus, vel ille actus ſugeſtivus. Quare cum verba ambigua ſint, & ſenſus eorum ſit anceps, & dubius, Confeſſarius ea proferens, non eſt præſumendus ſolicitator.

7. Nota autem in fine, quod ſi in caſu expoſito Confeſſarius reſponderet per verba conditionata, hoc, vel ſimili modo: *Si locus permitteret, & Sacramento injuria non inferretur, tibi animum meum explicarem.* Tunc quidquid alij dicant, eſſet verus ſolicitator in Confeſsione, ut poſt Eſcobar, & Hurtado, docent Salmanticenſes. Ratio eſt quia talia verba ſatis provocativa ſunt ad venerea, & per illa animus libidinoſus Confeſſarij ſufficienter manifeſtatur. Alij volunt, quod ut in hoc caſu interveniat ſolicitatio, Confeſſarius deberet dicere: *Animum meum turpem.*

CASUS 4.

Cum Conſtantinus exciperet Confeſſiones in Eccleſia acceſſit ad ejus Confeſſionale Juliana, ipſius amaſia: Et ſive hoc contingeret in Confeſſione, ſive ſimulando Confeſſionem, ob aliqua, quæ ei narravit, vel ipſe

ipſe ex alio fonte ſciebat, eam ſemel, & iterum objurgavit, & de zelotipia arguit. Eſt ne denunciandus Conſtantinus?

1. ETſi plura conglomerent Authores, pro reſolutione hujus, vel ſimilis caſus, reſpondeo breviter quod ſi objurgatio Confeſſarij revera manifeſtat zelotipiam, ſine dubio denunciandus eſt. Autumo, quod omnes debent id affirmare, nam in tali caſu verba objurgantia incitativa ſunt ad venerem, & ad amorem turpem continuandum, ut recte notat Joannes Sancius in ſelect. diſp. 11. num. 32.

2. Si autem objurgatio nullam zelotipiam manifeſtaret, & alias eſſet licita, & honeſta tunc denunciandus non eſt, inquit Taboada §. 2. num. 20. quia tunc Confeſſarius ſuo muneri debite, ac licite ſatisfacit, & zelo zelat pro Domino.

3. Idem videtur dicendum, caſu quo objurgatio Confeſſarij foret, eo præciſſe, quia alter cum quo fœmina turpem communicationem habet eſt rixoſus, mendax, vel malæ famæ, & imminent ſcandala, gravia incommoda, aut aliud quid ſimile. Si enim in his nullum verbum allicitivum, directe, aut indirecte profert, aliena videntur à ſolicitatione. Tum, quia prædicta objurgatio ex ſe ad venerem non tendit. Tum, quia Confeſſarius movetur ad illam, ob motivum honeſtum, conveniens, & licitum.

4. Multo minus denunciandus eſſet Confeſſarius, qui procuraret amicitiam fœminæ, non manifeſtando ſe finem inhoneſtum habere in tali amicitia, etiamſi diceret ei, velle in ſuam domum adire. Hæc enim, abſolute ſumpta, licita, & honeſta ſunt, ut obſervat Gaſpar â Sancto Nicolao dub. 9. num. 69. citans Souſam. Sed ego addo, quod licet hæc licita, & honeſta ſint, tamen periculoſa ſunt in Confeſſione, conſequenterque, maxime cavenda â Confeſſarijs.

CASUS 5.

Romualda nobilis, & reputata ut honeſta, poſt inceptam Confeſſionem cum Julio, eum ad turpia provocavit, ob quam nefariam audaciam,

ciam, acriter fuit ab ipſo reprehenſa. Sed ipſa de reprehenſione non curans, iterum illum turpiter allexit, dicens ei, quod ſola, & ſine comite in domo manet, & quod eum in ea ſperat, ut dormiat cum illa; & concludit interrogando: Vis, vel non vis? Sed ecce! Intravit Diabolus in cor Julij, & reſpondit ei: Volo: Statim receſsit fœmina, quin Sacerdos dixiſset ei aliud verbum, quod neque expreſſe, nec interpretative aliquid turpe redoleret. Quæritur: An Romuolda teneatur Julium denunciare, ſive rem cum ea habuiſſet, ſive non habuiſſet?

1. CRedo, quod pro reſolutione hujus caſus, longo calamo oportet uti; ideoque notandum eſt 1. dubium hoc non procedere de ſolicitatione mutua, quomniam definitam eſt jam à Sanctiſsimo Benedicto XIV. *Denunciandum eſſe Confeſſarium, etiamſi ſolicitatio inter Confeſſarium, & pœnitentem mutua fuerit.*

2. Notandum eſt 2. neque hic præciſſe quæri An denunciandus ſit Confeſſarius ſolicitatus, â pœnitente, ſi conſentiat? Scio quod Thomas Hurtado, Joannes Sancius, Homobonus, Bonacina, Lezana, Acuña, Portel, Hieronymus Rodriguez, & Graſsis, abſolute affirmant, Confeſſarium conſentientem ſolicitationi, non eſſe denunciandum, teſte Taboada §. 7. num 95. ubi dicit, quod iſtam opinionem probabilem, & tutam cenſerunt Diana, & Peyrinis apud Nuño; id ipſum docet Donatus, & expreſsius Pellizarius tract 8. cap. 6. num. 24. & 29. Hanc ſententiam ut probabilem quoque docuerunt Delbene dub. 237. ſect. 7. Bordonus in Manual. ſect. 25. num: 169. & fuſius tom. 1. cap. 23. â num. 72. & pro illa ſtant Sanctarellus, Boſsius, & alij plures. Quorum omnium, ratio mihi robuſtior eſt in promptu, quia Confeſſarius ſolicitatus, & conſentiens, non allicit, nec provocat, ſed eſt allectus, & provocatus.

3. Video tamen, his non obſtantibus, quod ſententia affirmans talem Confeſſarium denunciandum eſſe, fere ab omnibus modernis, quos viderim, docetur tan abſolute, ut de probabilitate contrariæ opinionis, vel dubitent, vel parum curent,

ut præter Gaſparem á Sancto Nicolao, & alios, videri poteſt apud Hebas de Pœnit. tract. 5. cap. 67. qui hanc opinionem vocat nunc temporis communiorem, cum Trimarchio, Eſcobar, Corro, Nuño, & Diana; ſicut, & apud Salmantiſences cap. 4. punct. 3. num. 40. aſſerentes, quod interminis Conſtitutionis Gregorianæ hæc opinio eſt ut verior habenda, cum Confeſſarius conſentiens habeat ſermones, vel tractatus inhoneſtos cum pœnitente. Nihilominus, plures ex Authoribus, ſupra citatis pro parte contraria, poſt Bullam Gregorij XV. ſcripſerunt, & prædictam clauſulam intelligunt de illicitis, & inhoneſtis ſermonibus, vel tractatibus, quorum Confeſſarius eſt Author, ut videri poteſt apud Bordonum; & ex modernis id ipſum docet Giribaldus de Sacram. Pœnit. cap. 19. dub. 3.

4. Catena part. 2. tit. 6. agit de hoc dubio, & aliquantulum ſe inclinat in opinionem affirmantem Confeſſarium ſolicitatum, & conſentientem, denunciandum non eſſe, quatenus in fine addit, quod hæc difficultas eſt admodum gravis, & quod pro ejus deciſsione, conveniens eſſet conſulere Supremum Senatum. D. Franciſcus Verde in Anacephaleos opin. prohibit. tract. 9. §. 13. â num. 336. & cum ipſo Torrecilla in Enciclopedia, tom. 2. verbo ſolicitatio, teſtantur, quod conſulta fuit jam ſuper hoc dubium S. Congregatio S. Officij ab Archiepiſcopo Mediolanenſi, interrogando: An pœnitens cogendus ſit ad denunciandum Confeſſarium á ſe ſolicitatum, & ſibi conſentientem? Reſponſum autem fuit Feria 4. die 22. Auguſti 1668. his verbis: *Sacra Congregatio dixit non eſſe cogendum, ſed remittendum ejus arbitrio, juxta decretum ſub die 25. Jannuarij* 1625. Vide Append. 2. in fin. num. 12.

5. Hinc diſplicet mihi, Valentinus á Matre Dei, qui opinionem liberantem pœnitentem ſolicitantem Confeſſarium, ab onere denunciandi eum, caſu quo ſibi conſentiat, improbabilem vocat. Minus mihi placet Bezerra aſſerens, & non probans in explicatione Benedictinæ §. 2. num. 243. quod hæc opinio per dictam Conſtitutionem damnata eſt. Vide infra diſp. 3. caſu 5. num. 3. & 5. Hoc niſallor, examine eget lo-

quendo de Confeſſario mere conſentiente ſolicitationi pœnitentis, quin mutua ſolicitatio interveniat, ſive abſque eo, quod Confeſſarius etiam pœnitentem ſolicitet, neque ad majus, neque ad minus peccatum.

6. Hebas, citato cap. 67. teſtatur, quod praxis Sanctæ Inquiſitionis Hiſpaniæ eſt, Confeſſarios conſentientes, ſi á pœnitentibus ſolicitantur, punire. Verum, cum hic non agamus de praxi, ſed ſolum de probabilitate opinionis, etſi talis praxis laudabilis ſit, non propterea probabilitas contrariæ ſententiæ deſtruitur: Quoniam probabilitas opinionum pro foro conſcientiæ, non fundatur in praxi Tribunalium, ſed oritur ex jure; & quando jus non eſt certum in contrarium, probabilitas non inficitur, ut etiam amplius conſtabit.

7. Non ignoro, quod Gaſpar á Sancto Nicolao in Synopſi dub. 6. ubi quærit, an ſit denunciandus Confeſſarius, qui prætextu Confeſsionis vocatus á fœmina ſe infirmam ſimulante, & ab ea ſolicitatus, ei conſentit metu infamiæ, eo quod illa ſuperaddat, ſe exclamaturam vim ſibi ab illo inferri, niſi conſentiat; aſſerit num. 52. citans Cardin. Cozza pag. 58. quod hic Confeſſarius denunciandus eſt, & quod ita deciſſum fuit â Supremo Tribunali die 11. Februarij ann. 1661. qua deciſsione attenta, contraria opinio non eſt probabilis. Sed cum reſponſio Sacræ Congregationis ſupra relata ſit poſterior, ſcilicet, ann. 1668. ſi credendum eſt citatis Verde, & Torrecilla, opinio talem Confeſſarium liberans, non eſt improbabilis in vi dictæ deciſsionis.

8. Hinc locum videntur habere fundamenta, quibus fundantur Aſſertores ejus, ſcilicet; quia cum in hoc caſu, nullum conficiatur Sacramentum, nec datur abuſus Sacramenti, nec Sacramento fit injuria. Tum, quod metus gravis, & cadens in virum conſtantem excuſat á denunciatione: Quia viro probo gravior eſt honoris jactura, quam ipſa mors. Nihilominus ego majorem difficultatem recognoſco in hoc caſu, quam in caſu mere, & præciſſe conſentientis; quia hic Confeſſarius ſimulatione Confeſsionis libidinem expleret. Neque iſte eſt mere,

re; & præciſſe conſenties, ſed eſt fornicator ſub Confeſsionis velamine; & omnibus notum eſt, quod aliud eſt conſenſus nude ſumptus, aliud vero opus. Hinc Sanchez in ſelectis diſp. 11. num. 30. male citatus pro parte contraria á relato Caſpare, dicit ſe mirari, quod Bonacina diſp. 6. punct. 3. num. 17. & Souſa, qui poſt Bullam Gregorianam ſcripſerunt, ſequuti ſint Acuñam, & Graffium, qui judicarunt hunc Confeſſarium denunciandum non eſſe. Et ſtante Benedictina, dificilem, judico falem turpem executionem, ſine ſolicitatione mutua. Quare me in preſenti dubio Doctioribus ſubjiciendo, & reverenti animo venerando quodcumque Decretum, ſeu legem Superiorum Præſulum, quæ me poſit latere; quia tamen principalis difficultas caſus præſentis, ob circumſtantias, ſit longe diſtincta, ideo.

9. Notandum eſt 3. quod ſi Romualda in noſtro caſu vult omne jus ſuum renunciare, & denunciare Julium, tunc nulla difficultas offerri ſe poteſt, ut de ſe patet. Difficultas autem in hoc maxime conſiſtit: Quid ei conſulendum, vel jubendum ſit, ipſa interrogante, an teneatur denunciare Julium, & alias ſerio aſſerente, quod nullo modo vult minimam famæ ſuæ pati jacturam? Et in hoc ſenſu.

10. Reſpondendum mihi videtur, quod Romualda, non tenetur denunciare, adhuc præſcindendo ab his, quæ dicta manent, in nota 2. Ratio eſt, quia ut liquet ex facie caſus, hæc Mulier non poteſt manifeſtare delictum Confeſſarij, quin etiam manifeſtet propriam turpitudinem, infamiam, & crimen; atqui ipſa, alias nobilis, & honorata, ad hoc non tenetur: Ergo neque ad denunciandum. Probatur maj. Confeſſarius ſolummodo dixit, *volo*, quod verbum cum in differens ſit de ſe ad bonum, & malum, in caſu nequit ut malum, & criminoſum haberi, niſi referatur ad impudicam ſolicitationem, qua Mulier Confeſſarium allexit, & provocavit.

11. Min. autem, videlicet, quod talis fœmina non teneatur propriam turpitudinem aperire, & ſe infamare, probatur ex Sententia Juriſperitorum ſatis communi, aſſerente, quod

 teſtis

teſtis non poteſt interrogari â Judice, neque interrogatus tenetur reſpondere, de illis, quæ detegunt ipſius delictum: De quo videri poteſt Reiffenſtuel, lib. 2. Decretal. tit. 20. §. 1. â num. 22. Ergo multo minus tenetur ad illud ſponte aperire. Unde arg. C. quis aliquando §. His authoritatibus, de Pœnit. diſt. 1. dicitur: *Non tibi dico, ut te prodas in publicum, neque ut te apud alios accuſes.* Et Can. nolo 10. q. 1. *Qui negligit famam ſuam crudelis eſt.*

12. Et roboratur: Nam fœmina non tenetur denunciare, quoties ex denunciatione timet prudenter infamiam ſibi ſequendam, ut præter alios docet Illuſtriſsimus Acuña, quæſt. 19. num. 9. & ibi ejus additionator Freytas num. 17. ſicut, & Bordonus in Manual. num. 176. Atqui in caſu poſito, Romualda infamaret ſe, ſolicitationem ſuam impudicam revelando: Ergo non tenetur ad hoc.

13. Scio aliquos judicare, quod in cauſis fidei tenetur teſtis propriam turpitudinem revelare. Sed Carena part. 3. tit. 7. §. 11. num. 74. dicit, quod cum hac opinione tranſit fidei favore, ſed cum magna trepidatione conſcientiæ; quia ei repugnant omnia principia juris naturalis, & civilis, ſecundum quæ, nemo cogendus eſt propriam turpitudinem manifeſtare: Et contra eam militare Decretum Sacræ Congregationis Sancti Officij de Urbe, in quo præcipitur, quod Mulier non interrogetur ſuper ſuo conſenſu, licet Confeſſario ſolicitanti conſenſerit. Ergo minori titulo poterit cogi in caſu controverſo, ad revelandam ſuam laſcivam provocationem, ut malitia verbi, *volo*, â Confeſſario prolati, dignoſci valeat. Videatur etiam Taboada §. 10. á num. 161.

14. Etſi replicas cum Bonacina, p. 3. num. 11. & Eſcobar part. 2. q. 5. §. 1. num. 30. Quod bonum Religionis, & Sacramenti Pœnitentiæ, præponderat damno, & incommodo, quod timet pœnitens; & quod denunciatio ſit ſecreto, ita quod numquam manifeſtetur perſona denuncians, propterquod intimatur abjuranti Bulla, *ſi de protegendis*: Ad hoc reſp. citat. Bordonus num. 177. quod hoc argumentum facit pro caſu

hæ-

hæreſis formalis, non vero pro caſu ſolicitationis. Et hoc ideo, quia hæreſis ſemper ſerpit: Non vero delicta ſuſpicionem de hæreſi inferentia; ſicque diſpoſitio loquens de hæreticis, non comprehendit ſuſpectos de hæreſi, ut ipſe probat in eodem Manual. ſect. 18. num. 47.

15. Ex dictis manet reſoluta illa quæſtio: An denunciandus ſit Confeſſarius ſolicitatus á pœnitente, ſi tacet? Etſi enim non deſint, qui aſſerant, quod denunciari debet, niſi ob verecundiam, vel puſilanimitatem taceat, eo quod qui tacet conſentire videtur; mihi probabilius videtur oppoſitum. Tum, quia qui tacet, nec fatetur, nec negare videtur, ex cap. 44. de Reg. jur. in 6. Tum, quia non eſt novum apud Juriſtas, quod in odioſis, & perjudicialibus, taciturnitas habeatur pro diſenſu. Tum, quia licet demus, quod tacens, conſentiat; tamen non eſt adeo indubitatum, quod mere conſentiens debea denunciari, modo ex parte ſua, nec directe, nec indirecte pœnitentem alliciat.

CASUS 6.

Creſcencia ſolicitata in Confeſſione, vel immediate ante, vel poſt Confeſſionem, aut alio modo ex relatis in Bullis, Confeſſario ſolicitanti conſenſit, & cum eo turpiter egit. Hinc cum conſenſus ſuus magna confuſione ipſam afficiat, quærit: An teneatur illum denunciare?

1. RESp. affirmative, & ſententia oppoſita nunc damnata eſt á SS. Benedicto XIV. in illis verbis Conſtitut. *Sacramentum Pœnitentiæ: Sive ſolicitationi pœnitens conſenſerit; ſive conſenſum minime præſtiterit.* Quare, etſi ſemel, & itterum allegaret illud principium: Nemo tenetur ſe ipſum prodere; in quo præcipue fundatur opinio proſcripta, nequit Confeſſarius eam abſolvere, ſi non denunciat; quod jam ante Conſtitutionem Benedictinam, per Edicta Sanctæ Inquiſitionis, proviſum erat,

2. Conſulendum tamen eſt ei, ut conſenſum ſuum non aperiat, ſeu quod manifeſtet ſolicitationem Confeſſarij, pro-

prium

prium conſenſum reticendo. Immo Conſultum erit ipſam certiorare, quod Domini Inquiſitores, de ſuo conſenſu non curabunt, neque ipſam, neque Confeſſarium, de hoc interrogabunt: Et quod licet â Confeſſario reveletur, non ſcribetur in Proceſſu: Quoniam ſic declaratum fuit â Sacra Congregatione Sancti Officij de Urbe coram SS. Urbano VIII. die 27. Septembris ann. 1624. Uno verbo: Dicendum eſt ei, quod fama ſua nequaquam peribit, cum honori ejus ſufficienter proviſum ſit conſequenterque, privatam eſſe ut abſolvi poſsit, ſi non denunciat Confeſſarium, cujus ſolicitationi conſenſit.

3. Dices: Monita Creſcentia de his omnibus adhuc magnam difficultatem objicit ad denunciandum, & denunciare renuit. Quid ergo faciet Confeſſarius? Reſponſum præbent ſequentia verba Sacræ Congregationis relatæ: „ Y quando el „ penitente todavia preſiſtiere en la miſma renitencia, N. S. „ ſe contenta, que del Obiſpo, ô del' Inquiſidor, ſe dè authoridad al Confeſſor de recibir por eſcrito, y con juramento la denuncia. Y ſi â mas de las coſas dichas ocurriere otro „ caſo grave, para el qual no ſe pueda perſuadir al penitente, que denuncie, quiere ſu Santidad, que ſe eſcriba aqui, „ y ſe eſpere la reſpueſta, y en tanto ſe ſobreſea en la abſolucion. Loquitur hoc Decretum in caſu, quo pœnitens conſenſit Confeſſario ſolicitanti, & poteſt legi integre apud Torrecilla in Enciclopedia ſup. citat. â num. 25. & apud alios, quos ipſe citat.

CASUS 7.

Cum Lucinda confiteretur cum Ambroſio, acceſſit ad eam Veſpeſianus Confeſſarius, & tactus turpes habuit cum ea; vel alio modo eam ad turpia provocavit. Manet obligata ad denunciandum illum?

1. RESp. negative; quia in tali caſu Veſpeſianus non ſolicitavit Lucindam, ut Miniſter Sacramenti Pœnitentiæ: Et Conſtitutiones loquuntur de Confeſſario ſolicitante, ut Miniſtro. Idem dicendum eſſet, caſu quo Veſpeſianus,

nus, vel fortuito, vel ex induſtria, audiſſet peccata turpia, quæ Lucinda retulit Ambroſio, & poſtea ſolicitaret eum. Ratio eſt, quia in dicto eventu, de materiali ſe habet, quod Veſpecianus ſit Confeſſarius, ut Poteſtat. docet Gonzalez Matthæo de Pœnit. §. 22. num. 311.

2. Nec dicas: Veſpeſianus in caſu eſt Sacerdos Confeſſarius ſolicitans in Confeſsione: Ergo eſt denunciandus. Reſp. neg. conſeq. ex qua ratione diſtingui poteſt antecedens: Nam licet ſit materialiter Confeſſarius, non tamen eſt talis formaliter, nec Miniſter Sacramenti, ac proinde reputandus eſt ac ſi eſſet Laicus.

CASUS 8.

Apollonius ad Synodum pergit, ut ſibi conferatur Curatus Examinatores vero, ut inſtructi de ejus ſufficientia reddantur, interrogant eum primo: An ſit denunciandus Cofeſſarius, qui pœnitentem oppreſſum per ſomnium, artem, vel maleficium, turpiter in Confeſſione cognovit? 2. An ſit denunciandus Confeſſarius ab illo, qui audit, vel vidit eum pœnitentem ſolicitare? 3. An donum in Confeſſione tribuere pœnitenti ſit ſolicitatio denuncianda?

1. REſp. 1. Joan. â Trinit. dub. 8. num. 2. talem Confeſſarium non eſſe denunciandum, modo fœmina copulam ſentire non valeat; quam ſententiam, præter Sanctium, Trullench, & alios, tenet Delbene ſect. 13. petit. 11. eſtque fundamentum: Quia in tali caſu pœnitens eſt incapax tentationis, ac provocationis, non minus ac ſi eſſet mortuus, vel lapideus, conſequenterque Confeſſarius non eſt ſolicitator, ſed fornicator. Unde, licet abutatur Sacramento fornicando, non abutitur ſolicitando: Et licet lædat pœnitentem in genere naturæ, non tamen lædit in genere moris, ſeu in anima. Id ipſum docet Vidua per plura tom. 2. Parit. 65. fol. 289.

2. Sed verius reſpondet Salmanticenſes punct. 3. §. 3. n. 37. hunc Confeſſarium eſſe denunciandum. Ratio autem hujus opinionis, quæ eſt communior, eſt in promptu: Quia hic Con-

Confeſſarius opere ſolicitat, & tractatus inhoneſtos haber cum pœnitente, & temere ac fatue injuriam Sacramento infert. Hinc multo magis denunciandus eſſet Confeſſarius, qui pœnitentem maleficio provocaret, ſive hoc conſiſteret in certis verbis, ſive ſignis, ſive pulveribus, ad accendendum in eo ardorem libidinis. In quo caſu, cum hic pœnitens ſit capax provocationis, id ipſum affirmat Joann. á Trinitate dub. 10. num. 3.

3. Ad 2. reſp. Bordonus, quod ſi Mulier, quæ confitetur, ſurdaſtra ſit, & ſolicitationem non intellexit, tunc non recte dici poteſt ſolicitata, cum non habeat cogitationem verborum. Quare in caſu, nec datur proprie ſolicitatio, neque obligatio denunciandi. Sed Poteſtas cap. 10. quæſt. 1. tenet ut verius denunciandum eſſe, & ſic videtur colligi ex reſponſione præcedentis dubij.

4. Ad 3. affirmat Trimarchus apud Delbene dub. 237. ſect. 3. pet. 2. eſſe ſolicitationem, maxime, ſi pœnitens non eſt pauper, quia dona magis alliciunt, quam verba. Negat Bordonus in Manuali ſect. 25. num. 91. quia dona ex ſua natura non ordinantur ad venerea: Quare ſi poſtquam Confeſſarius dedit pignus pœnitenti, domi, vel alibi illum non ſolicitat, non eſt denunciandus. Delbene viam mediam eligit, aſſerens quod Confeſſarius denunciandus eſt, ſi donum eſt magni valoris; nam tunc collatio doni eſt palliata, & amphibologica ſolicitatio; & ſic ſentit Diana apud citatum Bordonum, qui nihilominus aſſerit, quod perſiſti in ſuo dicto.

5. Verum, quia ad fœminam alliciendam turpiter, ſufficit ramuſculus florum, in his ſemper attendendum eſt ad intentionem, & finem Confeſſarij. Etſi apparet, quod nullum finem turpem habuit, nec intentionem parvam, non videtur denunciandus; & multo minus ſi donum eſt religioſum, & ſpirituale, atque ex ſe, & ex intentione dantis, ordinatum eſt ad devotionis aumentum. Videatur, ſi placet Hebas de Pœnit. cap. 66. ubi ut probabile docet, quod collatio doni, etiam non parvi, non conſtituit Confeſſarium reum denunciationis, etſi poſtea domi, vel alibi ſolicitet, modo non dicat, quod donum

tri-

tribuit propter hunc finem: Quia potuit donum ex liberalitate primo conferre, & poſtea ſolicitare ex nova intentione.

CASUS 9.

Poſt Apollonium ſequitur in Synodo Homobonus, & interrogatus fuit primo: An Confeſſarius petens pecuniam à pœnitentibus, pro victu ſuæ amaſſiæ ſit denunciandus? 2. An conſulere homicidium Mulieri conjugatæ, ſui proprij Mariti, ſolicitationem arguat? 3. An denunciandus ſit Confeſſarius docens conjugatam actus turpes, cum proprio Marito excercendos.

1. RESP. ad 1. quod ſi Confeſſarius manifeſtaret pœnitenti finem turpem petendi pecuniam, ſive hic eſſet ad conſervandam amaſsiam, ſive ad aliam fœminam ſolicitandam, tunc denunciandus eſſet; nam talis tractatus revera eſt inhoneſtus, & turpis: Sicut etiam eſſet, ſi peteret domum pœnitentis, ad tractandum in ea turpiter cum alia perſona, & hoc pœnitenti manifeſtaret. Conſtat ex illis verbis: *Ad inhoneſta ſive inter ſe, ſive cum alijs, quomodolibet perpetranda.*

2. Caſu autem, quo Confeſſarius nullum finem turpem pœnitenti manifeſtaret, in petitione pecuniæ, non deſunt, qui aſſerant adhuc denunciandum eſſe. Ratio hujus ſententiæ eſt: Quia ſi Confeſſarius peteret á pœnitente, ut perſuaderet aliquam fœminam ad hoc, ut turpia excerceret cum illo, denunciandus eſſet; atqui fœmina fortius perſuaſa manebit per pecuniam, quam per verba: Ergo denunciandus eſt, ſi petit pecuniam.

3. Oppoſitum vero docet Hebas de Pœnit. cap. 71. poſt Hurtadum, & Souſam. Ratio eſt: Quia hic Confeſſarius ad nihil inhoneſtum, ex ſe ſolicitat, neque aliquid turpe tractat. Enim, ſolum ſolicitat, & tractat, ut pecunia ſibi donetur, & donatio pecuniæ ſervire poteſt, vel ad debitum ſolvendum, vel ad aliud opus bonum. Ita etiam Bordonus tom. 1. c. 23. num. 62. & in Manuali ſect. 25. num. 116.

4. Ad 2. ſimiliter eſt reſpondendum, eſſe ſolicitationem,

ſi Confeſſarius conſulens mortem Mariti, declaravit fœminæ, intendere majorem libertatem; ad tractandum de inhoneſtis cum illa: In quo ſenſu, amplector ſententiam Trimarchi diſp. 14. num. 12. Verum ſi Confeſſarius nihil Mulieri declaravit, tunc negative reſpondet Bordonus tom. 1. cap. 23. num. 60. Ratio eſt, quia homicidium non eſt formaliter, neque virtualiter ſolicitatio, cum nullum habeat reſpectum, vel conexionem cum illa. Et addit, quod hoc procedit ſic, etiamſi poſtea Mulier ſui corporis copiam Confeſſario faciat.

5. Ad 3. reſp. Gaſpar â Sancto Nicolao dub. 4. num. 42. Ex Eminentiſsimo Cozza, quendam Confeſſarium, qui in Confeſsione Sacramentali docuerat Mulieres modum ſe habendi cum ſuis Maritis in copula matrimoniali, punitum fuiſſe juſſu Alexandri VII. pœna carceris per quinquennium, & declaratum inhabilem in perpetuum ad audiendas Confeſsiones. Quare præfatos modos turpes conjugatas docere, tractatus inhoneſti ſunt, & ſic præter alios docet Taboada §. 2. num. 14.

6. Notandum eſt tamen, quod interrogare fœminas conjugatas, vel meretrices, de turpibus actionibus peccaminoſis, quas exercuerunt cum Marito, vel Amaſsio, hoc non eſt turpes modos docere: Et multoties finis licitus, honeſtus, immo, & obligatorius apparet, ad has interrogationes faciendas, qui omnem ſuſpicionem turpitudinis, relegat. Non enim ſemel accidit, quod Mulier, alias vafra, tam verecundà, vel timida ſit, in manifeſtatione ſuæ conſcientiæ, ut neque ſubſtantia, neque ſpecies peccati, detegi poſsint per interrogationes generales, etſi ipſa neque circumſtantias, quas aperire debet, ignoret. In hoc enim caſu, præterquamquod nullum ſit periculum docendi eam, quod neſcit, poteſt cum maximo fundamento timeri, quod ſua Confeſsio ſit ſibi confuſio, quia diminuta, & ſacrilega, ut ſæpius experientia probavit. Quare interrogare fœminas in ſimili eventu magis clare, quam Confeſſarius ſolet, non erit curioſitas, ſed charitas, nec tractatus turpis, ſed Miniſterij adimpletio, modo interrogatio metas honeſtatis non exce-

excedat, & procuretur in omnibus religioſa cautela, & puritas Sacramento debita. Alias cum ſexus fœmineus facilis ſit ad infamandum, & artificioſus in nocendo, cui vult, ut inquit Divus Chriſoſtomus in Hom. 60. Confeſſarius faciliter denunciabitur.

CASUS 10.

Lucretius in examine pro Confeſſionibus audiendis, interrogatur primo: An pœnitens deobligetur ab onere denunciandi, quando Confeſſarius ſolicitavit eum per litteras? 2. An ſaltem non teneatur denunciare, quando pœnitens confitetur cum eodem Confeſſario? 3. Quid dicendum quando alter Confeſſarius, pœnitenti obligationem denunciandi non impoſuit, & poſtea pœnitens confitetur cum Confeſſario, qui eum ſolicitavit? Denique, quid conſulendum fœminæ ſolicitatæ in articulo mortis conſtitutæ, ſi Confeſſarius cognoſcit obſtinationem ejus ad non denunciandum?

1. AD 1. reſpondere debet negative, quia ſic definitum eſt â Santiſsimo Alexandro VII. qui ſequentem propoſitionem damnavit: *Confeſſarius, qui in Sacramentali Confeſſione tribuit pœnitenti chartam, poſtea legendam, in qua ad venerem incitat, non cenſetur ſolicitare in Confeſſione, ac proinde non eſt denunciandus.* Hodie autem etiam denunciari debet licet chartam tribuat pœnitenti immediate ante, vel poſt Confeſsionem, vel occaſione, aut pretextu Confeſsionis, vel in Confeſsionario, aut alio loco ad Confeſsionem deputato, aut electo, ſimulando Confeſsionem; ut conſtat ex Conſtitutione Sacramentum Pœnitentiæ. Ad 2. etiam negative reſpondere debet, quia ſic etiam definitum eſt ab Alexandro VII. qui hanc quoque propoſitionem damnavit: *Modus evadendi obligationem denunciandi eſt, ſi ſolicitatus confiteatur cum ipſo ſolicitante; hic poteſt illum abſolvere abſque obligatione denunciandi.*

2. Ad 3. reſpondere poteſt, quod ſi alter Confeſſarius, quia parum inſtructus in his materijs, non impoſuit obligationem denunciandi fœminæ ſolicitatæ, & alias hæc eſt in bo-

na fide ſuarum Confeſsionum, tunc etſi poſtea, confiteatur cum Confeſſario, qui illam ſolicitavit, & iſte cognoſcat, quod eum non denunciavit, poteſt diſimulare, eamque non monere, ut eum denunciet. Tum, quia ut docet Hebas de Pœnit. cap. 66. in fine citans Hurtadum, Lorcam, & Trimarchum, Summus Pontifex non jubet Confeſſario in hoc caſu, ut fœminæ onus denunciandi imponat, ſed ſolum quod non liberet pœnitentem ſolicitatum à tali onere. Tum, quia ſi quando pœnitens timet ſibi damnum grave in honore, vel vita, non tenetur denunciare Confeſſarium, ut multi ſatis probabiliter docent; nec Confeſſarius tenebitur pœnitentem monere, ut ipſum Confeſſarium denunciet, quando damnum grave ipſi Cõfeſſario ſequitur. Jus enim naturale fortius eſt quam poſitivum, de quo, præter alios, videri poteſt Diana 1. p. tract. 4. reſol. 6. Hæc reſolutio videtur mihi conformis Conſtitutionibus Gregorianæ, & Benedictinæ, in quibus loquendo Summi Pontifices de obligatione, quam imponunt Confeſſarijs monendi pœnitentes, ut denuncient Sacerdotes ſolicitantes, dicitur in Gregoriana: *Quos noverint fuiſſe ab alijs, ut ſupra ſolicitatos.* Et in Benedictina: *Noverint jam ab alio ſolicitatos*. Ergo non imponunt obligationem Confeſſario monendi pœnitentem, ut denunciet ipſum Confeſſarium.

3. Major autem difficultas erit, ſi poſtquam fœmina redit ad Confeſſarium ſolicitantem, interrogat eum, an teneatur denunciare illum? In quo caſu, relinquendo alijs facultatem opinandi, mihi videtur quod ſic: Non in vi juris poſitivi Pontificij, ut dixi ſupra: Sed in vi juris naturalis, ratione cujus tenetur pœnitentem monere de ſua obligatione, quando pœnitens ſuam obligationem interrogat. Ratio eſt, quia alias Confeſſarius non adimpleret ſuum officium. Tum, quia relinquendo pœnitentem in dubio, relinqueret eum in peccato. Tum, quia bonum ſpirituale pœnitentis, ponderat magis quam fama Confeſſarij. Vid. Gonzalez Matthæo tract. 23. de Pœnit. num. 347. Sed contrarium docet Joann. Sancius in ſelect. diſp. 11. num. 47.

4. Ad

4. Ad 4. Diſtinguendum eſt, an Mulier ignoret obligationem denunciandi, an vero ſufficienter de tali obligatione inſtructa ſit? Si ſecundum; denunciare debet, alias nequit abſolvi, ut indiſpoſita: Modo denunciare poſsit; quia ad impoſſibile nemo tenetur, & neceſsitas caret lege. Vide Gaſp. â S. Nicolao dub. 19. num. 128. ubi dicit quod fœmina in tali caſu debet diſponi ad pœnitendum nihil addendo de obligatione denunciandi, ſi non poteſt; neque Confeſſarius debet de licentia fœminæ denunciare: Quia ſi infirma moritur, quis teſtificabit pro ea? Vide etiam Roncagliam in Reg. 6. pro praxi, & Ligorium num. 699. cit. alios. Si primum, & Confeſſarius certo ſcit, quod licet ipſam moneat, non denunciabit, & quod monitum ejus, ob circumſtantias ſibi alias notas, ipſam periculo damnationis exponet, melius faciet, ſi abſolvit eam, quin aliquid de obligatione denunciandi ſibi ſignificet, quam ei denunciationem præcipere. Ratio eſt ex Præpoſito Dolz del Caſtellar de Pœnit. ſect. 14. num. 161. Quia Confeſſarius, ob munus Doctoris tenetur inſtruere pœnitentem diſcrete. Hinc quando pœnitens laborat ignorantia invincibili, quæ ſolum eſt cauſa peccati materialis, ſi non ſperatur fructus, & timentur majora damna, debet Confeſſarius tacere. Siquidem, quando hæc damna timentur, regulariter convenit non inſtruere pœnitentem, & eum in ſua bona fide relinquere, alias peccabit in quibus antea ob errorem inculpabilem, non peccabat. Unde cap. Si quis, de Pœnit. diſt. 7. dicitur ex Divo Auguſtino: *Si ſcirem tibi non prodeſſe, te non monerem, te non terrerem.*

5. Et roboratur: Quia in tali caſu ex monitione Confeſſarij conſtituetur pœnitens in proximo periculo damnationis: ſed hoc damnum magis ponderat, quam punitio Confeſſarij: Ergo conſultius operabitur Confeſſarius, nihil de denunciatione facienda pœnitenti ſignificando. Videtur enim, quod cum Sacramentum Pœnitentiæ inſtitutum fuit ad vitandam æternam damnationem animarum, ſemper, & quando ex ejus uſu completo, conſtituendus eſt pœnitens in periculo damnatio-

nis, non debet ad tantum obligari. Sic Hebas de Pœn. tract. 5. cap. 64. qui addit, quod extra articulum mortis, monendus eſt pœnitens, ut denunciet, etiamſi Confeſſarius cognoſcat, pœnitentem obſtinandum eſſe, & non denunciaturum. Verum hoc mihi durum videtur, generaliter loquendo, ob rationes precedentes. Vide Antonium â Spiritu Sancto num. 1470. & Ligorium lib. 6. tract. 4. cap. 2. dub. 5. â num. 610.

CASUS 11.

Poſt Lucretium examinatus fuit Vitus, & interrogatus fuit primo: An ſit ſolicitans Confeſſarius dicens fœmina. 1. Si fornicatio non eſſet prohibita, peccarem tecum. 2. Si non eſſem Confeſſarius, ſed pœnitens, ſolicitarem te. 3. An ſolicitans in aliquo caſu teneatur denunciare ſe ipſum?

1. RESp. ad 1. & 2. affirmative; quia talia verba ex ſe ad venerea incitant, & provocant: Neque per conditiones adductas â Vito, denudantur â malitia, maxime dum intra Confeſsionem proferuntur. Non diſputo hic, an in alijs circumſtantijs, poſsit dari aliqua ſimilis locutio, ſine peccato mortali? Quidquid enim aliqui dixerint, valde timendum eſt, quod eorum opinio non ſit practice probabilis, regulariter loquendo.

2. Ad ultimum reſpondet Hebas cap. 74. videri ſibi valde probabile, quod Religioſus timens denunciandum eſſe, tenetur ad ſe ipſum denunciandum, ut benignius tractetur á Dominis Inquiſitoribus, & hoc modo famæ ſuæ attendat meliori modo, quo poſsit, ne Religio ſua ignominiam patiatur. Siquidem, quilibet Religioſus debet procurare honorem ſuæ Religionis. & vitare quodlibet dedecus, quod cauſa ſua culpabili Religioni ſupervenire poteſt. Notat autem idem Author, quod hæc obligatio non oritur in caſu de quo loquimur ex jure poſitivo Pontificio, neque ex Edictis Sanctæ Inquiſitionis, ſed ex jure naturali. Verum hæc reſolutio intelligenda eſt, caſu quo tempus adſit, ſeu opportunitatem habeat comparendi ſpontaneè. Sed de his ſuo loco diſp. 4.

CA-

CASUS 12.

Chriſtophorus quærit â viro docto, an quando fœmina ſolicitata abſoluta fuit ab aliquo Confeſſario, non monente eam de obligatione denunciandi Confeſsarium ſolicitantem, abſolvi jam poſſit à Chriſtophoro, ſine talis præcepti impoſitione: An vero teneatur compellere illam, ut denunciet non ſolum Confeſſarium ſolicitantem, ſed etiam alium, qui ei abſolutionem impertivit, nihil ei dicens de obligatione denunciandi?

1. RÈſpondere debet Vir doctus. 1. Chriſtophoro, quod tenetur monere fœminam ſolicitatam, ut denunciet Confeſſarium ſolicitantem, & quod alias nequit eam abſolvere. Ratio eſt primo: Quia talis pœnitens obligationem ſuam adimplere poteſt, & non adimplevit. Ratio eſt. 2. quia ſic reſponſum fuit á Sacra Congregatione Sancti Officij die 22. Auguſti ann. 1668. ut teſtatur Torrecilla in Enciclopedia tom. 2. verbo ſolicitatio num. 71. Ex Verde tract. 9. §. 13. â num. 336. his verbis: *Sacra Congregatio dixit teneri.* Hoc eſt teneri fœminam ad denunciandum Confeſſarium ſolicitantem in tali caſu.

2. Quo ad 2. vero quod quæritur â Chriſtophoro, dicendum eſt, quod licet aliquis judicaverit fœminam in tali caſu teneri ad denunciandum etiam Confeſſarium, qui ei abſolutionem contulit, ſine præcepto denunciandi, judicando ſic fuiſſe declaratum ab Urbano VIII. Sacra tamen Congregatio citata apud eoſdem, Torrecilla, & Verde, contrarium reſpondit, his verbis: *Quo vero ad ſecundam partem non teneri denunciare Confeſſarium, à quo fuit abſoluta, & non conſtare de Decreto Urbani.*

3. Notandum tamen eſt, quod ſi Confeſſarius, qui abſolvit pœnitentem ſolicitatum, abſque monitione denunciationis, denunciatur Dominis Inquiſitoribus, punietur pro modo culpæ, ut conſtat ex illis verbis Gregorianæ: *Quod ſi hoc officium prætermiſerint, vel pœnitentes docuerint non teneri ad denunciandum Confeſſarios ſolicitantes, ſeu tractantes ut ſupra::: Inquiſitores illos*

pro

pro modo culpæ punire non negligant. Caſu autem, quo pœnitens habeat difficultatem in denunciando, reſponſum præbent ſequentia verba Conſtit. Benedictinæ: *Caveant inſuper diligenter Confeſſarij, ne pœnitentibus, quos noverint jam ab alio ſolicitatos, ſacramentalem abſolutionem impertiant, niſi prius denunciationem prædictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti Judici, vel ſaltem ſe, cum primum poterunt, delaturos ſpondeant, ac promittant.*

DISPUTATIO II.

De ſolicitatione facta immediate ante, vel poſt Confeſſionem: Et de ea, quæ fit occaſione, vel prætextu Confeſſionis.

QUÆSTIO I.

Quid ſit ſolicitare immediate ante, vel poſt Confeſſionem?

1. ASSERO 1. Semper, & quando inter ſolicitationem, & Confeſsionem nihil mediat, talis ſolicitatio cenſenda eſt immediate facta ante, vel poſt Confeſsionem. Ita Paramus, Sanctius, Freytas, Souſa, & Caſtro Palao, quos citat, & ſequitur Joann. â Trinit. ſect. 3. dub. 2. á num. 26. Sic etiam ſentiunt plures alij, inter quos Pellizarius tract. 8. cap. 6. num. 26. Donatus tom. 4. tract. 13. quæſt. 46. num. 11. & cum eis Taboada §. 3. num. 34. Hinc ſemper, & quando inter ſolicitationem, & Confeſsionem, mediat aliquod factum, vel negotium Confeſsioni extraneum, ſeu tractatio verbalis alicujus alterius rei, tunc ſolicitatio non eſt immediata Confeſsioni, ut bene obſervat Valentinus â Matre Dei in Foro conſcientiæ num. 338. cum Gaſpare Hurtado, Molfeſio, Scortia, & Diana; niſi forte mediet aliquod diverticulum, quod pro nihilo cenſeri debeat, ut notat Pignatelli tom. priori conſult. Canon. conſult. 117. pag. 480.

2. Bordonus in Manuali ſect. 25. num. 28. quærit, quid ſignificet immediatio inter Confeſsionem, & ſolicitationem? Et reſpondet, tunc dari talem immediationem, quando nullus intercedit actus extraneus inter utranque. Sed infra n.29. reſolvit, quod *immediate* ſumitur pro eodem, ac ſtatim, & *incontinenti*. Nam incontinenti facta, dicuntur geſta ante, vel poſt immediate. Ex L. Lecta. ff. ſi cert. pet. & notat pariter, quod incontinenti facta, non dicuntur die interpoſita, ex L. quod ait 23. §. quod ff. ad leg. Jul. de adult.

3. Hujus opinionis meminerunt Poteſtas, Lezana, Graffis, Roncaglia, & alij, qui ultimus nihil de hoc dubio reſolvit. In horum autem ſententia datur ſolicitatio immediate ante, vel poſt Confeſsionem, etſi inter ſolicitationem, & Confeſsionem mediet aliquod intervallum, ſeu aliquod tempus breve. Carena part. 2. tit. 6. §. 5. num. 27. dicit, quod hæc eſt praxis Sancti Officij, & quod ita obſervabatur ante Conſtitutionem Gregorianam: Et addit ex Genuenſi, & alijs, quod ita fuit declaratum á Clemente VIII. vivæ vocis oraculo. Hæc certe difficultate non carent; & ob hanc varietatem explicandi dictionem *immediate*, eſt forte Cœtus Doctorum ita diviſus in reſolvendo caſus pertinentes ad hanc clauſulam Conſtitutionum, ut aliqui, non ſolum Authoribus, quos ſequuntur, ſed etiam ſibi ipſis, ſe me mea opinio non fallit, videantur contrarij, ut infra patebit.

4. Sed pro horum majori explicatione mihi poſsibili, noto ex citato Bordono, tria eſſe tempora in præſentiarum diſtinguenda, pro intelligentia Bullarum. Primum eſt tempus copulatum cum primo actu Confeſsionis, quæ incipit â primo peccato, quod Confeſſario narratur. Hoc magis explicat num. 34. dicens, quod hoc tempus importat illud ſpatium, quo pœnitens genuflectitur, ſigno Crucis munitur, & dicit Confeſsionem generalem, per verbum *confiteor*. Secundum eſt totum tempus, quo pœnitens confitetur narrando peccata, uſque ad abſolutionem, quæ ſuper peccata cadit: Vel etiam ſi negetur obſolutio ob indiſpoſitionem pœnitentis, vel alia ex cauſa, ut

recte advertit Joan. â Trinit. ſupra citatus. Tertium eſt tempus conjunctum abſolutioni, ſive collatæ, ſive negatæ: Seu tempus immediate abſolutionem ſequens. His notatis:

5. Noſter Redal §. 3. num. 14. dicit, quod ſolicitare immediate ante Confeſsionem, eſt ſolicitare pœnitentem â tempore, quo genuflectitur, & ſe ſignat coram Confeſſario, quouſque incipit manifeſtare tempus quo non eſt Confeſſus, vel ſtatum ſuum, puta libertatis, Matrimonij, &c. Hæc reſolutio concordat cum explicatione diviſionis trium temporum immediate relata ex Bordono. Hinc, ſtando huic opinioni, dicendum eſt, quod Confeſſarius ſolicitans pœnitentem, quando pœnitens petit ab ipſo confiteri, non ſolicitat immediate ante Confeſsionem, ut vult ipſe Bordonus num. 31. citans alios cum Delbene ſect. 9. n. 4. & 5. Sed hoc intelligit Delbene, quando pœnitens diceret Confeſſario, ſe velle ſtatim confiteri; & ita judicant Sanchez, & Palaus, quos ſequitur Hebas de Pœnit. cap. 65. & idem aſſerit Gonzalez Matthæo n. 319. Si enim dixerit ſe velle confiteri in craſtinum, tunc ſolicitatio non eſſet immediata Confeſsioni, ſed cenventioni de Confeſsione facienda, quod eſt valde aliud. Alioquin ſi diceret, ſe velle confiteri tranſacto anno, & Confeſſarius illi diſſuaderet Confeſsionem, & eum ſolicitaret, eſſet etiam denunciandus, ut reus ſolicitationis, quod nemo dixerit unquam; inquit citatus Delbene, & idem aſſerit Joannes Sancius diſp. 11. num. 49. Videatur etiam Pignatelli tom. priori Conſult. Canon. Conſult. 117.

Ex hac ergo diverſitate opinandi, oritur non levis confuſio, in reſolvendo caſus hujus naturæ, ut paulo ante dicebam, & patebit clarius ſequenti inductione. Nullus, quem viderim, eſt qui neget, quod ſi fœmina petit ab aliquo Confeſſario, ut ſtatim, ſeu pro tunc, excipiat ejus Confeſsionem, & Confeſſarius tunc ſolicitat eam, eſt reus ſolicitationis, & ut talis denunciandus. Verum reperies apud plures, quod iſte Confeſſarius ſolicitat immediate ante Confeſsionem, & hæc eſt expreſſa ſententia Bordoni in Manuali ſect. 25. num. 31. ubi ci-

tat

tat alios pro ſuo aſſerto. Reperies etiam apud alios, quod iſte Confeſſarius ideo denunciandus eſt, quia ſolicitat occaſione Confeſsionis, eſtque communior opinio, & docetur quoque â Bordono tom. 1. cap. 23. num. 38. ubi dicit inter alia, quod ſi pœnitens petit ſtatim audiri, & Confeſſarius differat Confeſsionem in aliud tempus, & Confeſsione poſtpoſita, provocat eum ad inhoneſta, dicitur violare hanc clauſulam, *ſive occaſione Confeſſionis.* Quapropter, magis mihi placet explicatio dictionis, *immediate ante*, quam ſupra traddidi ex Redal: Niſi forte velis tu dicere cum Nuño num. 319. non poſſe in hoc dubio regulam generalem aſſignari, atque ideo conſulendos eſſe Viros Doctos, pro caſuum reſolutione. Nihilominus.

7. Aſſero 2. Solicitare immediate poſt Confeſsionem, eſt ſolicitare â tempore, quo terminatur abſolutio, vel denegatur ob indiſpoſitionem pœnitentis, ſeu differtur ob aliam cauſam, quouſque pœnitens ſurgat â Confeſsionario, & divertat ſe ad alia. Ita Redal §. 3. num. 14. & conveniunt in hoc Joann. â Trinit. ſect. 3. dub. 2. num. 4. & alij ex citatis in principio hujus quæſtionis. Quapropter, in terminis hujus opinionis, particula *immediate* debet ſumi phyſice, ita ut ſolicitatio eveniat in tempore, quo Confeſsio finitur, aut abſolutio confertur, vel denegatur, taliter quod poſt finitam Confeſsionem, aut datam, vel denegatam abſolutionem; neque Mulier, neque Confeſſarius ad alia ſe divertant. Ratio eſt, quia cum ſimus in pœnalibus, & odioſis, verba accipienda ſunt ſecundum uſitatam, & propriam ſignificationem, quomodonam dictio *immediate* omne intervallum excludit. Si autem contra hæc reponis declarationem Clementis VIII. quam ſupra retuli ex Carena, dicendum eſt, quod talis declaratio reſpicit forum externum, & praxim Sancti Officij, non autem forum conſcientiæ, ita ut probabilitatem hujus opinionis proſcribat, quæ ut vidimus, â pluribus Authoribus docetur, & tam intrinſece, quam extrinſece, apparet probabilis; & hoc, licet demus, quod ſolicitatio facta ſtatim, & incontinenti poſt Confeſsionem,

comprehenditur in conſtitutionibus; quoniam probabile eſt, quod inter ſtatim facta, & incontinenti, nihil debet mediare, ut colligitur ex Gloſ. ſup. cap. 1. de Mutuis petit. V. ſtatim. Ibi: *Nullo actu medio interpoſito;* ut refert Bordonus in Manuali num. 29. & ſic ſentit Sanchez in Selectis diſp. 11. n. 49.

8. Verum ſerio advertat Confeſſarius incautus, quod ſi pœnitentem ſolicitat paulo poſtquam Confeſsio finita eſt, etſi per breve tempus ſe ad alia diverterit, & denunciatur Dominis Inquiſitoribus, parum ei proficiet aliquos Authores habere, judicantes crimen ſuum non eſſe in Bullis comprehenſum; quoniam quilibit Judex procedit recte, & juſte ſui Tribunalis ſequendo praxim, & ut ſupra manet dictum, ex Carena, praxis Sancti Officij eſt, in tali caſu denunciationem recipere, & delinquentes punire. Sed Gaſpar â Sancto Nicolao dub. 3. num. 31. videtur dubitare de hac praxi. Vide illum.

9. Nota in fine ex Carena citato, quod ſi ſolicitatio contingit poſtquam tam Confeſſarius, quam pœnitens ad ſua habitacula ſe ſe receperunt, etſi talis Confeſſarius poſsit puniri ab Ordinarijs locorum, tamen non eſt reus Conſtitutionum contra ſolicitantes; & pro hoc aſſerto citat Rodericum, Graſſium, Paramum, & Sanctarellum; & judicat, quod attenta particula *immediate,* hoc non poteſt habere probabilem dubitationem, quidquid, licet diverſis terminis dixerit Riccius. Et concludit, quod pro hac ſua reſolutione ſtant Molfeſius, Diana, Trimarcha, & Illuſtriſsimus Traſmiera. Hæc eſt doctrina hujus Authoris, in rebus Sancti Officij apprime inſtructus, & per longiſsimum tempus verſatus. Verum, quia noſter Redal. §. 4. num. 18. ex Poteſta num. 600. autumat, quod licet ſolicitatio in hoc caſu non ſit immediate poſt Confeſsionem, eſt tamen facta occaſione Confeſsionis, ſi Confeſſarius ex auditis in Confeſsione moveatur ad ſolicitandum intra terminos 24. horarum, ideo, ut de veritate, vel de dubietate hujus aſſerti, quod etiam docuerunt alij apud Leandrum quæſt. 28. ubi ipſe docet contrarium, judicium magis fundatum feramus, ſit:

QUÆST.

QUÆSTIO 2.
Quid ſit ſolicitare occaſione Confeſſionis?

1. HÆC dictio occaſio apud aliquos importat cauſam, etiam remotam, & impulſivam, quamvis non veram, & ſine ratione; & ſic dicere ſolemus, quod aliquis quærit occaſionem diſcedendi ab amico, ut notat Roncaglia de Conf. ſolicit. quæſt. 7. & citat pro ſe Barboſam diction. 236. Notandum tamen eſt, quod apud hunc Authorem, inter alia plura, quæ de hac dictione advertit, occaſio aliquando idem eſt ac *propter*, aliquando autem idem ac *prope*, ut apud ipſum videri poteſt loco citato, & dictione 292. quare jam cauſam proximam, jam remotam importat, ſicque quantum attinet ad aſſumptum præſens, hæc explicatio confuſa eſt. Hinc.

2. Aſſero 1. Non eſt incongrua explicatio hujus dictionis, quam adducit Joann. á Trinit. ſect. 3. dud. 3. dicens, quod occaſio eſt: *Opportunitas temporis caſu proveniens*. Ab hac explicatione ortum duxit illud vulgare proverbium: *Dormire facit furantibus occaſionem*. Sic etiam Nebrica, & apud ipſum Feſtus verbo *occaſio*, dicens quod occaſio ſit *Pars temporis habens in ſe opportunitatem idoneam*. Quapropter Bordonus in Manuali ſect. 25. num. 37. notat, quod occaſio non eſt ordinata ad effectum, de quo agitur, ſed ad aliud; & quod conſiſtit in facto, ex quo contingenter ſequitur effectus. Fere idem, poſt Souſam, dicit Gaſpar á Sancto Nicolao dub. 3. num. 25. ubi illa verba *caſu proveniens*, latius interpretatur, dicens, quod vera occaſio ad rem noſtram intervenit, ſive præviſa fuerit â Confeſſario, ſive præviſa non fuerit. Sed de hoc, ſi melius non explicatur, credo, ſi non multum fallor, quod merito dubitari poteſt. Quoniam, ſi quando pœnitens accedit ad Confeſſarium cauſa confitendi, ejus intentio Confeſſarium lateat, tunc etſi Confeſſarius eum ſolicitet, nullam injuriam infert Sacramento cum de illo non cogitaverint; & nihil volitum quin præcognitum: Ob quam rationem judicat etiam Taboada §. 3. num. 37. quod

ſa-

talis ſolicitatio nequibit dici facta immediate ante Confeſsionem. Accedit, quod occaſio, quantum ad præſens negotium, tunc datur, quando ex Confeſsione quærit pravus Sacerdos opportunitatem ad ſolicitandum, ut eruitur ex dictis, & inter alios, advertit Bordonus citatus, expreſsis terminis, & nihil mali poteſt ex Confeſsione quærere, qui nec Confeſsionem factam, nec intentione futuram, cognovit: Et ſic loquitur etiam ipſe Gaſpar à Sancto Nicolao dub. 3. num. 35. & dub. 35. num. 164. & 65. niſi fœmina eſſet filia ſpiritualis, quæ unice, & ſemper accederet ad Confeſſarium pro Confeſsione.

3. Aſſero 2. Tunc Confeſſarius ſolicitat occaſione Confeſſionis, quando rogatus à pœnitente, ut ejus Confeſsionem excipiat, divertit eum ad alia, & Confeſsione poſtpoſita, ad venerem illum ſolicitat: Vel quando ipſe Confeſſarius invitat pœnitentem, ut cum ipſo confiteatur, & utitur hoc medio ad illum ſolicitandum. Ita Redal §. 4. num. 17. Sed hoc ultimum intelligendum eſt, quando Confeſſarius invitat pœnitentem ſerio ad Confeſsionem veram; quia ſi invitatio eſſet ad Confeſſionem fictam, & colorotam, tunc non ſolicitaret occaſione, ſed prætextu Confeſsionis, ut notat Poteſtas cap. 7. num. 509.

4. Notant autem ſatis communiter Authores, quod ſolicitatio occaſione Confeſsionis poteſt dupliciter contingere, nimirum, occaſione Confeſsionis faciendæ, & occaſione Confeſſionis factæ. Quare ſi quando rogatus Confeſſarius, ut Confeſsionem excipiat, ſolicitat pœnitentem, tunc ſolicitat occaſione Confeſsionis faciendæ: Idemque contingeret, ſi eum ſolicitaret, quando ipſe Confeſſarius invitat pœnitentem ad Confeſsionem veram. Attamen, ſi Confeſſarius, poſtquam audivit Confeſsionem fœminæ fragilis, dixiſſet ei in domo, vel alibi: *Das mihi licentiam loquendi tecum de auditis in Confeſſione?* Et hac occaſione eam ſolicitaret, tunc ſolicitaret occaſione Confeſſionis factæ: Et clarius ita ſolicitaret, qui, fœmina reſiſtente, dixiſſet ei: *Cum alijs fornicata es, & mecumnon vis?* In hoc enim caſu deberet etiam puniri, ut violator ſigilli Sacramentalis.

5. Nihilominus, Joann. â Trinit. ſect. 5. dub. 8. num. 6. ju-

judicat, quod in his ultimis caſibus, non eſſet Confeſſarius violator Conſtitutionis, ſeu quod non eſſet ſolicitator occaſione Confeſsionis, juxta proprium, & germanum Conſtitutionis ſenſum. Rationem aſsignat in eodem dubio num. 4. ſcilicet, quia illa verba *occaſione Confeſſionis*, debent intelligi de Confeſsione facienda, non de Confeſsione facta. Hoc eſt, ut ipſe magis ſe ipſum explicat, Hiſpano idiomate: *Con ocaſion que la quiere confeſſar, ò ella quiere confeſſarſe.* Quod colligit ex eo, quod Gregorius XV. immediate addat: *Etiam ipſa Confeſſione non ſecuta;* in quibus verbis, de ſola Confeſsione futura, videtur loqui.

6. Et proſequitur dicens, quod ſi Conſtitutio æque deberet intelligi de Confeſsione preterita, & futura, eſſet nimis obſcura, & ad praxim valde difficilis, & quod Confeſſarij plurimis calumnjis eſſent expoſiti. Nam contingere poteſt, quod Confeſſarius ſolicitet fœminam, quam ex Confeſsione novit fragilem, longo tempore poſt Confeſsionem elapſo. Quo in caſu, poterit ipſa calumnioſe aſſerere, quod Confeſſarius occaſione ſumpſit ex auditis in Confeſsione, ad ſolicitandum eam, cum re vera potuiſſet illam ſolicitare, nova, & repentina ſuggeſtione diabolica excitatus, vel tractus impetu ſenſualitatis propriæ. Sed etſi in his ultimo relatis cum ipſo conveniam, & repetam infra in reſp. ad Caſum 4. tamen in quantum ſolicitationem factam occaſione Confeſsionis limitat ad Confeſsionem futuram, cum nullum Authorem, pro ſe citet, nec mihi ucuſque reperire licuerit, niſi Jacobum Pignatelli tom. priori noviſsim. Conſ. Canon. Conſ. 117. pag. 481. ubi aliquantulum ſe inclinare videtur in hunc modum opinandi, non audeo recedere á ſetentia communi. Vide infra Caſum. 4. num. 5. & recole dicta diſp. 1. quæſt. 10.

QUÆSTIO 3.

Quid ſit prætextus, & quid ſolicitare prætextu Confeſſionis?

1. ASSero 1. Prætextus eſt velamen, & color, quo aliqua res fit, quæ non eſt, vel deſinit eſſe, vel fal-

falſa eſt. Sic Poteſtas c. 7. num. 509. citans L. ſub prætextu, cap. de tranſact. Sic etiam Roncaglia q. 7. addens, quod prætexere nihil aliud eſt, quam unum agere, & aliud omnino diverſum exterius oſtendere; quod ex Gonzalez, & Bordono, advertunt etiam Salmanticenſes cap. 4. §. 4. num. 52. Hinc.

2. Aſſero 2. Solicitare prætextu Confeſsionis eſt ſolicitare ſub colore, vel velamine Confeſsionis: Vel eſt aſſumere exterius Confeſsionem Sacramentalem, ad valendum pravum animum, & impudicam intentionem Confeſſarij. Eſt communis, & patebit magis hac inductione, quam affert Joann. á Trinit. ſect. 3. dub. 3. num. 3. dicens, quod ita contingeret, ſi confeſſarius ſub apparenti titulo, & ſpecie profectus ſpiritualis alicujus fœminæ, ſuadeat, vel invitet eam, ut cum ipſo confiteatur; cum revera, neque tranquilitatem conſcientiæ ejus, neque ullum fœminæ profectum intendat, ſed ſolum ad aliquid inhoneſtum ſolicitare ſtudeat.

3. Idem dicendum eſſet, ſi Confeſſarius animo doloſo, per epiſtolam, vel internuntium perſuaderet fœminæ, ut confiteretur cum eo, & tunc fœmina bona fide, ſed revera decepta â Confeſſario, accederet ad eum, & ſolicitaretur ab ipſo. Sic citatus â Trinitate, qui addit ex Freytas, quod prætextus debet eſſe proximus, non remotus â loco, & ſtatu Confeſsionis; de quo iterum infra. Caſu 8. hujus Diſp. in fin.

4. Interim tamen adverto, quod nullus apparet prætextus, quando etſi Confeſſarius diceret fœminæ: *Vis mecum confiteri?* Et uteretur his, vel ſimilibus verbis ad eam ſolicitandam; tamen ex circumſtantijs, & ex tono loquendi, cognoſceret fœmina, talia verba non eſſe á Confeſſario prolata ad eam decipiendam, ſeu ſub velamento Confeſsionis; ſed vel per ſcurrilitatem, vel ex ejus loquacitate. Et ratio videtur fundata, eo quod in Conſtitutione dicatur: *Prætextu Confeſſionis hujuſmodi*; quæ particulæ de Confeſsione Sacramentali intelligi debent, & non de quacumque expreſsione Confeſsionis. Et ratio hujus rationis eſt; quia talia verba ſcilicet *Confeſſionis hujuſmodi*, referuntur ad proxime antecedentia, nimirum, *in actu Sacramentalis*

lis Confeſſionis. Hoc eſt illius Confeſsionis, quæ fit, vel intenditur cum requiſitis ad obtinendam gratiam Sacramenti, vel illius, quæ ab Eccleſia recipitur, & reputatur ut talis.

5. Nota in fine ex Pignatello in noviſsim Conſul. 117. quod omnis ſolicitatio quæ fit in Confeſsione, fit occaſione, & prætextu Confeſsionis. Nihilominus dicta verba addita ſunt ad comprehendendum caſum in quo non ſequitur Confeſsio, eo quod Pontifex dicat: *Confeſſione non ſecuta.* Quare proprius caſus expræſſus per illam clauſulam, eſt, quando ſolicitatio fit occaſione, vel prætextu Confeſsionis, licet non ſequatur Confeſsio.

PROPONUNTUR, ET RESOLVUNTUR aliqui caſus pertinentes ad hanc diſputationem.

CASUS 1.

Cum Petra carnaliter peccaret cum Terentio Sacerdote, fuit vehementi dolore oppreſſa, ita ut ambo judicarent, quod ſtatim moritura erat. Quapropter ſine ulla mora petivit Confeſsionem ab eo, & revera confeſſa, & abſoluta, ab ipſo fuit. Eſt ne hæc ſolicitatio, vel turpis tractatus, immediate ante Confeſſionem?

1. REſp. negative; & conſequenter, Terentium non eſſe denunciandum. Ratio eſt ex Delbene ſect. 9. num. 6. aſſerente, quod ſi tempore ſolicitationis, nec pœnitens, nec Confeſſarius cogitarunt de Confeſsione facienda, quamvis poſtea Confeſsio immediate ſequatur, tunc Confeſſio non habet ortum â ſolicitatione, ſed ex eo, quod pœnitens dolorem conceperit de peccato commiſſo, velitque liberari cito ab eo per Confeſsionem: Quare ſi Confeſſarius ejus petitioni conſentit, benefaciet, dummodo ſigna doloris aperte viderit in pœnitente. In caſu autem propoſito, adeſt ratio robuſtior, nimirum articulus mortis pœnitentis: Ob quam cauſam, non ſolum poteſt Terentius Petræ Confeſsionem excipere, quin ſit

 vio-

violator Conſtitutionum, ſed tenetur eam ex charitate confiteri, ne anima ejus pereat.

2. Habenda tamen eſſet præ oculis á Terentio in hoc caſu Conſtitutio *Sacramentum Pœnitentiæ:* In vi cujus nequit complicem abſolvere â peccato turpi, niſi in articulo mortis, & deficiente copia alterius Confeſſarij, ut dictum manet, & dicam infra; ubi etiam ducam in examen, an doctrina relata ex Delbene poſsit habere locum, extra articulum mortis, adhuc nunc temporis, quando peccatum turpe, non eſt conſummatum.

CASUS 2.

Seraphina jam genuflexa ad pedes Confeſſarij animo confitendi, propoſitum mutat, non Confeſſarij ſuaſione, ſed ſpontanee, & proprio motu, dicens ei, ſe jam non velle confiteri, ſed confabulari; & tunc ſolicitatur a Confeſſario: Quæritur: An hic Confeſſarius ſit denunciandus, ut ſolicitans immediate ante Confeſſionem?

1. RESp. denunciandum non eſſe hunc Confeſſarium, ut violatorem particulæ *immediate*. Ratio eſt, quia cum Seraphina proprio motu, Confeſsionis propoſitum mutaret, tunc Confeſsio jam non eſt futura in intentione pœnitentis, quæ nec phyſice, nec moraliter permanet, cum ſit ſpontanee retractata: Ergo talis ſolicitatio nullo modo eſt immediata Confeſsioni. Ita Joann. á Trinitat. ſect. 3. dub. 2. num. 7. qui addit ibidem, contrarium eſſe dicendum, ſi fœmina mutaret propoſitum poſt inchoatam Confeſsionem: Quoniam tunc ſolicitatio eſſet immediate poſt Confeſsionem inchoatam. Procedit prima reſolutio, in caſu quo nulla fuit ſimulatio Confeſsionis: Et ſtant etiam pro illa Pintre ſect. 28. & Antonius â Spirit. Sancto num. 1441. ubi citat Souſam, & Tancredum licet Confeſsio eſſet incepta; ſi poſt aliquas confabulationes fieret ſolicitatio in loco ubi non ſimulatur Confeſsio.

CA-

CASUS 3.

Bonifacius invenit Martham in Eccleſia, & eam ſolicitavit; Martha vero conſentire noluit, & petijt ab eo ut ſuam Confeſsionem exciperet, & factum eſt ita. Eſt denunciandus Bonifacius?

1. RESp. 1. Si Martha frequenter cum Bonifacio confiteri ſolebat, & hic ex ſignis prudenter præſumere potuit, quod illa volebat cum eo confiteri, præſertim quia genuflexa erat in Confeſsionario, in quo communiter confitebatur cum illo, tunc videtur denunciandus: Etſi nec minimum verbum de Confeſsione aliquis ex eis prolatus fuiſſet. Ratio eſt ex Delbene ſect. 9. n. 25. cum Freytas: Quia ſtatio Marthæ in tali loco, & tali hora, erat tacita petitio Confeſsionis.

2. Reſp. 2. Si Martha nec tacite, nec expreſſe Confeſsionem petijt â Bonifacio ante ſolicitationem, tunc non videtur denunciandus. Quia ut bene advertit Redal §. 5. num. 20. talis ſolicitatio nullo modo in Conſtitutionibus comprehenſa eſt. Hoc probat Bordonus in Manuali ſect. 25. num. 32. dicens, quod hæc ſolicitatio neque eſt immediata Confeſsioni, nec occaſione, aut prætextu Confeſsionis. Nam occaſio, & prætextus, uti cauſæ debent præcedere ſolicitationem, & non ſequi. In caſu autem propoſito, res ê contra ſe habet; cum ſolicitatio fuerit cauſa Confeſsionis: Et pro his citat Delbene, Sanchez, Caſtro Palaum, & Trimarchum.

CASUS 4.

Arneſtus ex Confeſſione cognovit, Soſimam eſſe Mulierem fragilem. Hinc, Confeſſione finita, illam inſequitur, & domi, aut alibi ſolicitat, ſed non immediate poſt Confeſſionem. Eſt ne denunciandus?

1. AFFirmant non pauci denunciandum eſſe, ſed procedunt cum aliqua varietate. Noſter Redal ex Poteſta, & Hurtado, Lezana, & Graffis apud Leandrum, judicant, quod ſi Arneſtus ſolicitat Soſimam intra viginti quatuor horas poſt Confeſsionem, denunciandus eſt ut ſolicitator

occaſione Confeſsionis, ut notavi in fine quæſt. 1. hujus diſp. Verum hæc temporis taxatio mihi videtur valde voluntaria; cum neque in Conſtitutionibus, & Decretis Pontificijs fundata ſit, neque communi Doctorum ſenſui appareat conformis. Quare.

2. Reſp. ex Gaſpare â Sancto Nicolao, Arneſtum non eſſe denunciandum in caſu expoſito, ſecundum veriorem ſententiam; quia talis ſolicitatio neque eſt in actuali Confeſsione, neque in loco Confeſsionis, nec ſimulando Confeſsionem, neque prætextu, neque occaſione Confeſsionis. Prob. hoc ultimum, in quo niſallor unice poteſt eſſe difficultas: Quia licet Arneſtus in dicto caſu utatur notitia habita in Confeſsione, tamen dum ſolicitavit, nec fœmina petijt Confeſsionem, nec ipſe eam ad Confeſsionem invitavit: Ergo ſolicitatio non fuit facta occaſione Confeſsionis, etſi poſsit dici facta ex notitia habita in Confeſsione, quod eſt quid diſtinctum. Verum quidem eſt, quod talis petitio, aut invitatio, preceſsit, quando Arneſtus excepit Confeſsionem Soſimæ: Verum etſi hoc ita ſit, reſpectu ſolicitationis poſtea factæ, quid remotum eſt, neque occaſionem, de qua loquuntur Conſtitutiones, conſtituere valet. Alias, ut recte notavit Magiſter Guerrero, ſi poſt unum menſem, vel annum ſequeretur ſolicitatio, deberet Confeſſarius denunciari; quod Authores contrariæ opinionis non admittunt. Videatur citatus Gaſpar dub. 8. per totum, ubi plures opiniones refert ad noſtrum intentum num. 67. & citat pro ſe Salmanticenſes, & alios.

3. Non me latet, quod Roncaglia quæſt. 7. dicit PP. Salmanticenſes non ſatis probare, hanc ſolicitationem non eſſe factam occaſione Confeſsionis; ſed meo videri fallitur. Tum, quia nulla fuit petitio Confeſsionis ex parte fœminæ, nec invitatio Confeſſarij, ut manet dictum. Tum, quia aliud eſt uti notitia habita in Confeſsione, & aliud ſolicitare occaſione Confeſsionis: Sicut aliud eſt uti notitia habita in Confeſsione, & aliud revelare ſigillum Confeſsionis. Tum, quia ut obſervat Joann. â Trinit. ſect. 3. dub. 8. num. 2. ubi expreſſe noſtrum

ſtram ſententiam docet, tempus Confeſsionis non fuit opportunum ad ſolicitandum, cum ſolicitatio non tunc ſed poſtea contingeret: Ergo cum occaſio dicat oportunitatem temporis, talis ſolicitatio non fuit facta occaſione Confeſsionis. Tum, quia ut bene advertit Pignarelli ſupra quæſt. 2. in fine citatum in hoc caſu Confeſſarius non ſolicitavít ſub colore, aut ſimulatione Confeſsionis habendæ, ſed per accidens ex Confeſsione audita, occaſionem accepit ſolicitandi extra Confeſſionem: Sicque nullus eſt in caſu abuſus Sacramenti. Tum denique, quia in tali caſu Confeſsio non manet, nec phyſicè, nec moraliter, nec in aliquo ab ea pendente, vel ipſam comitante, vel ad ipſam ſe referente: Cum ut ſupponimus, nec Confeſſarius, nec fœmina, tempore ſolicitationis de Confeſsione curaverint, aut tractaverint: Ergo ex nullu capite apparet facta talis ſolicitatio occaſione Confeſsionis.

4. Ex quibus colliges, multo minus eſſe denunciandum Confeſſarium, qui per acta Confeſsione immediate ac Mulier egreditur ab Eccleſia, illam ſequitur in via, & ſolicitat eam, quin ex Confeſsione habuiſſet notitiam alicujus fragilitatis ejus. Sic Gaſpar â Sancto Nicolao dub. 3. num. 32. ex Diana num. 41. & Donato quæſt. 46. num. 12.

5. Addo autem in fine ex Salmanticenſibus, Arneſtum non eſſe denunciandum in caſu controverſo, ſi ſolicitaret Soſimam per litteras amatorias: Modo litteræ non darentur immediate poſt Confeſsionem. Neque eſſe denunciandum, ſi ex Confeſsione Viri cognoſceret Amaſiam ſuam, & poſtea illam ſolicitaret, ut docet Joann. â Trinitate citato dubio 8. in fine. Neque eſſe denunciandum, ſi Soſimam ſolicitaret per Internuntios, vel lenas, ut notavit De bene ſect. 9. num. 15. qui addit, quod gravius peccaret ſolicitando per lenas, quam per ſe ipſum: Sed hoc intelligendum cenſeo, caſu quo Internuntium, vel lenam non miſiſſet immediate poſt Confeſsionem: Si enim immediate mitteret, haberet locum regula jur. 72. in 6. Qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur: Ut ex Valentino á Matre Dei, notavit Taboada, addens, quod Peyrinis apud Pel-

liza

lizarium tract. 8. cap. 6. num. 25. ſatis durum id reputat, dicens, quod nomine ſolicitationis, hic ſolum venit illa, quæ fit perſonaliter, & phyſice, non vero quæ fit per interpoſitam perſonam, quia hæc ſolum eſt perſonalis fictione juris.

6. Scio, quod R. Joann. Baptiſta de Murcia in ſuo compendio legum judicat hanc opinionem abolitam eſſe per Conſtitutionem *Sacramentum Pœnitentiæ*, per illa verba: *Etiam ſi ſolicitatio à Confeſſario non pro ſe ipſo, ſed pro alia perſona peracta fuerit.* Quæ verba ſic exponit citatus Author, in nota 3. *Lo ſegundo, que incurra en dichas penas, no ſolo* quando ſolicitat per ſe, *ſino que ſe valiò* per alium. Verum quantum ad hoc lapſus fuit in æquivocationem, hoc modo relata verba interpretando; ut etiam obſervavit Dr. D. Vincentius Calatayud eximius Theologus numquam ſatis laudandus, tom. 1. diſſert. 2. num. 114. Per præfata enim verba, quod Pontifex declarat eſt denunciandum eſſe Confeſſarium, etſi pœnitentem ſolicitet, non ut turpia cum ipſo Confeſſario committat, ſed cum alia tertia perſona. Vid. Gonzalez Matthæo tract. 23. de Pœn. §. 22. n. 305.

7. Taboada §. 3. num. 40. dicit quod opinio ſupra num. 5. relata, ſibi probabilis apparet: Præſertim ſi pœnitenti non conſtet Confeſſarium lenonem miſiſſe, ſtatim poſt Confeſſionem: Neque hoc facile ſciri poſſe, niſi ipſe leno, aut Confeſſarius revelet: Et quod in tali caſu non præſumitur ſolicitatio immediate poſt Confeſſionem, ac proinde ſolus ipſe leno, vel Internuntius denunciare tenebitur, non autem fœmina eam ignorans immediationem.

CASUS 5.

Florentina, quæ valde ſcrupulis angitur, voluit generaliter cum Norberto confiteri ſpatio decem dierum, ut melius poſſet quotidie in mane per unum decalogi præceptum diſcurrere. Contingit autem, ut Norbertus die quinta harum decem, eam in domo viſitaret; qua occaſione illam ad turpia ſolicitavit. Quæritur: An Norbertus ſit denunciandus?

1. HUNC caſum perfunctorie tangit Taboada §. 3. num. 40. & reſpondet affirmative. Idem reſolvit

vit identicis verbis Caſpar á Sancto Nicolao dub. 3. num. 32. ubi hæc habet: Etiam eſt denunciandus Confeſſarius, ſi differat abſolutionem ob caſum difficilem conſulendum, & hoc intermedio fœminam ſolicitaret: Quia Confeſsio illa moraliter continuatur: Sicut cum quis plures impendit dies in Confeſſione generali. Sic citatus Author, qui conſultius dub. 25. in fine contrarium tenet.

2. Reſp. nunc cum diſtinctione. Vel Norbertus ſolicitavit Florentinam in domo, occaſione, prætextu, aut titulo alicujus rei, ſeu negotij dependentis â Confeſsione per adſtipulatos dies agenda, vel in vi alicujus alterius prorſus à Confeſſione extranei, & nullam dependentiam â Confeſsione includentis. Si primum; denunciandus videtur: Quia Confeſsio moraliter manet. Si ſecundum; non eſt denunciandus: Quia tunc Confeſsio eſt prorſus interrupta, & quidem cum maximo fundamento: Nam actio non perſeverat moraliter, nec virtualiter in opere ſibi extraneo, ſed ſolum in opere ſibi annexo, & concatenato, ut tenet communis Doctorum. Sic Joann. â Trinit. ſect. 3. dub. 7. per totum; ubi oſtendit, quod hic caſus in nulla clauſula Conſtitutionis comprehenditur: Modo non fiat ſolicitatio immediate ante, vel poſt Confeſsiones diſcontinuatas, & partiales. Et addit, quod quando Confeſſarius ſolicitat tempore interpollationis fœminam, quæ per plures dies confitetur, non ſolicitat illam ut Miniſter Sacramenti, ſed ut privata perſona: Eo quod ſolicitatio hujuſmodi fiat extra tempus, & occaſionem Confeſsionis.

CASUS 6.

Conſtantius dixit Eulaliæ, tempore quo ipſa rogavit eum, ut ſtatim ejus Confeſsionem exciperet: Nunc non poſſum quia occupatus ſum. Vade ad domum tuam, & expecta me ibi, quia habeo tecum loqui. Fecit ſic mulier, & Conſtantius ſolicitavit eam in domo. Eſt ne hæc ſolicitatio facta occaſione Confeſſionis?

1. RESp. affirmative ex Gaſpare â Sancto Nicolao dub. 13. cum Cozza: & cum Bordono in Manuali ſect.

ſect. 25. n. 81. ſive Confeſſarius dixiſſet talia verba fœminæ in Confeſsione, ſive dum petijt immediate confiteri. Ratio eſt quia ſolicitatio domi facta, â dictis verbis incepit: Ergo ſi Mulier ſtatim confiteri volebat, ſolicitatio cenſenda eſt occaſione Confeſsionis. Si Mulier jam confitebatur, ſolicitatio cenſenda eſt in actu Confeſsionis.

2. Dices 1. Etiam ſi Confeſſarius in tali caſu dixiſſet Mulieri: *Expecta me in domo tua, quia volo te ſolicitare*; non eſt verus ſolicitator: Ergo multo minus erit talis per relata verba. Prob. ant. Qui diceret: *Volo negare fidem*; non eſſet hæreticus: Ergo qui diceret: *Volo te ſolicitare*; non eſſe ſolicitator. Ant. docetur â Bordono in Man. ſect. 18. num. 49. Accedit, quod peccata futura non comprehenduntur in Conſtitutione, cum hæc lata ſit contra peccata commiſſa. Verba autem: *Volo te ſolicitare;* ſolum indicant ſolicitationem futuram.

3. Reſp. negando paritatem, quia tota probabilitas apparens argumenti, deſtruitur per ſolicitationem domi factam. Sicut qui diceret: *Volo negare fidem* revera eſſet hæreticus, ſi de facto negaret fidem.

4. Dices 2. Dicta verba: *Expecta me in domo, quia habeo tecum loqui;* deſe ſunt indifferentia: Ergo non eſt damnandus Confeſſarius propter ipſa, ut reus ſolicitationis. Reſp. quod licet talia verba ſuapte natura indifferentia ſint, tamen per ſolicitationem domi factam, ad ſenſum turpem determinantur. Tum, quia in bona Philoſophia, actus internus per externum explicatur. Tum, quia factum alicujus, ipſum judicat: L. cum probatio ff. de probat.

5. Difficultas autem major in caſu eſſet, ſi quando Conſtantius ad domum Eulaliæ pervenit, nihil turpe, neque directe neque indirecte ei proponit, ſed revera tractat cum illa negotium ſerium, nihil jam curando de Confeſsione, & in diſcurſu converſationis, vel hac finita, illam ſolicitat. Et in hoc caſu contrarium judico, ſcilicet, hanc ſolicitationem non eſſe comprehenſam in Conſtitutionibus. Ratio eſt, quia ſi in primo caſu verba determinantur ad ſenſum turpem, per ſolicitationem ad turpia

com-

commiſſam â Conſtantio, ſtatim ac occaſionem habuit in domo, conſequens eſt, quod in hoc ſecundo determinetur ad ſenſum honeſtum, per negotium ſerium, quod tractavit cum fœmina, ſtatim ac ingreſſus fuit domum. Tum, quia talis ſolicitatio â tentatione repentina oriri potuit. Tum, quia cum mediaret negotium ſerium ſerio tractatum, videtur remota. Videatur Ligorius in Append. de ſolicit. num. 677.

6. Roboratur hæc reſolutio ex Gaſpare â Sancto Nicolao dub. 3. num. 33. ubi dicit, quod non eſt denunciandus Confeſſarius, ſi in domo fœminæ, cum qua inhoneſte vivit, Confeſsionem fœminæ audit, & iſta finita, divertendo ſe ad alia negotia, illam ſolicitat; quia tunc Confeſsio fuit ſufficienter interrupta. Ex quo infero, quod ſi negotium ſerium interrumpit Confeſsionem, potiori, vel ſaltem æquali jure, debet interrumpere occaſionem Confeſsionis: Maxime dummodo rationabiliter non cognoſcatur, quod Confeſſarius negotium illud tractavit, & diſpoſuit ad paliandam ſolicitationem.

CASUS 7.

Calixtus ſolicitavit Artemiſam, tempore quo ipſa dixit ei: Pater, cras volo tibi confiteri peccata mea; *erit ne denunciandus?*

1. RESp. Bordonus in Man. ſect. 25. num. 33. hunc Confeſſarium eſſe denunciandum, non ut ſolicitantem immediate ante Confeſsionem, cum Confeſsio non ſit facienda immediate, ſed ſequenti tempore: Immo nec in continenti; quia non fit incontinenti, quod fit ſequenti die: Quare cenſet denunciandũ eſſe, ut ſolicitantem occaſione Confeſsionis, eo quod ex petitione Confeſsionis, occaſionem ſolicitandi captavit. Sic ſentit etiam Redal §. 4. num. 19. cum Poteſta, caſu quo Mulier, quia infirma eſt, rogat Confeſſarium, ut ſequenti die reddad ad confitendum eam; & Confeſſarius die ſequenti, nulla mentione facta de Confeſsione, illam ſolicitat. In hoc ſecundo caſu apparet major difficultas. Sed quantum attinet ad reſolutionem Bordoni, pro qua citat alios cum Delbene, æquivocatur in hoc: Et Doctrina hujus

Authoris relata manet ſupra quæſt. 1. hujus diſput. num. 5.

2. Joann. à Trinit. ſect. 3. dub. 2. num. 5. ſic loquitur: Obſervandum eſt hic cum Sancio diſp. 11. num. 49. & Caſtro num. 4. quod ſi fœmina accedens ad Confeſſarium dicat, ſe velle in craſtinum confiteri, & tunc occaſionem arripiat Confeſſarius eam ſolicitandi, talis ſolicitatio non cenſetur immediata Confeſsioni, ſed ſolum immediata conventioni de Confeſsione facienda: Ac proinde Confeſſarius in eo eventu ſolicitans, non eſt tranſgreſſor Conſtitutionis; quia non ſolicitat immediate ante Confeſsionem. Confeſsio enim res valde diverſa eſt à conventione de Confeſsione facienda, ut de ſe patet.

3. Quare hi Authores hunc Confeſſarium liberant, quia non ſolicitat immediate ante Confeſsionem. Alij illum damnant, quia ſolicitat occaſione Confeſsionis. Sed quia aliud eſt occaſio Confeſsionis, & aliud propoſitum confitendi; & occaſio Confeſsionis de qua loquuntur Conſtitutiones, non improbabiliter debet eſſe proxima reſpectu Confeſsionis, neutra ex his opinionibus caret probabilitate.

4. Reſolutio P. Redal non mihi diſplicet, caſu quo ſtatim ac Confeſſarius vidiſſet fœminam, quæ citavit eum pro die ſequenti, ſolicitaret eam. Verum ſi ante ſolicitationem tractarunt de aliquo negotio extraneo Confeſsioni, nihil jam de Confeſsione curando, tunc non auderem hunc Confeſſarium damnare ut reum ſolicitationis, maxime, ſi fœmina dedit occaſionem per aliquod verbum, vel ſignum, ut eam ſolicitaret. Tunc enim occaſio Confeſsionis ſatis interrupta eſſet.

Recolantur dicta in precedentibus caſibus 5. & 6.

CASUS 8.

Amelia in domo ſua ſolicitata ab Ildefonſo, conſentire noluit, dicens ei, quod timebat acriter à ſuo Confeſſario reprehendi. Tunc replicavit Ildefonſus: Ego excipiam tuam Confeſsionem. *Eſt ne hic caſus comprehenſus in Bullis?*

1. NOta 1. Quod Confeſſarius abſolvens complicem à peccato turpi conſumato, hodie incurrit in Excom-

communicationem reſervatam Summo Pontifici; ſed non propterea denunciandus eſt Dominis Inquiſitoribus, ut fuſius dicetur diſp. ultima quæſt. 3. num. 7.

2. Nota 2. Quod ſi aliquis Confeſſarius ductus probabilitate, quod actus turpes incompleti non comprehenduntur in Conſtitutione *Sacramentum Pœnitentiæ*, exciperet Confeſsionem ſui complicis in hoc peccato, non procederet contra Conſtitutionem.

3. Nota 3. Stante probabilitate inſinuatæ opinionis, quam docet Gonzalez Matthæo, de quo infra diſp. 5. quæſt. 1. expedire poſſe in aliquo caſu, ſi Confeſſarius probabiliter timet, fœminam non confeſſuram peccatum incompletum complicitatis, & ſacrilegium committere, ejus excipere Confeſsionem, procurando, quod ex corde doleat, & proponat non amplius peccare. Vid. Taboada §. 2. num. 21. & §. 3. num. 46. His notatis.

4. Matthæuci, Roncaglia, & alij cenſent, quod Confeſſarius, qui ad vincendam reſiſtentiam fœminæ verecundæ promittit ei, ejus Confeſsionem excipere, eſt reus Conſtitutionis. Caſum vero propoſitum adducit Poteſtas cap. 7. quæſt. 7. & reſpondet negative diſcurrendo per ſingula ſolicitationis capita, dicens, quod licet conſenſus fœminæ dependeat â Confeſsione, non tamen ſolicitatio. Idem docent Panormitanus tom. 2. part. 3. cap. 8. num. 116. & Bordonus tom. 1. c. 23. num. 41. Quia occaſio, & prætextus veluti cauſæ debent ſolicitationem præcedere, & non ſequi. Sic etiam Boſsius, & cum eo Lupus in Edict. part. 1. lib. 5. diſ. 2. art. 2. diff. 7. id ſuadens, quia in caſu non eſt abuſus Sacramenti, nam tempore promiſsionis, nulla fuit præparatio ad Sacramentum, neque ex parte Confeſſarij, neque ex parte fœminæ: A Sacramento enim, & á præparatione ad ipſum longe diſtat ſola promiſsio.

5. Taboada §. 4. num. 63. reſpondet cum diſtinctione, & dicit, quod ſi Confeſsio ſtatim ſequatur, aut Confeſſarius paratus ſit ad illico excipiendam Confeſsionem fœminæ, &

hæc ſolicitationi conſentit ſpe ſtatim confitendi, idque Confeſſario manifeſtat, tunc denunciandus eſt: Secus vero, ſi non promittit ejus Confeſsionem illico poſt lapſum audire. Videatur citatus Author, cujus doctrina videtur poſſe confirmari ex ſententia illorum, qui tenent, quod Bulla non loquitur de occaſione, & prætextu extra loca, & tempora Confeſsionis, ut cum alijs docent Diana part. 4. tract. 5. reſol. 7. Giribaldus cap. 19. dub. 4. num. 20. Freytas q. 5. ad Acuñ. n. 44. citans Souſam in add. n. 10. Taboada §. 4. num. 10. Leander q. 24. Trullench num. 27. Pintre ſect. 47. & Pignatellus conſ. 117. num. *Hæc autem.*

CASUS 9.

Petpetua conVenit cum Policarpo de venereis domi agendis, & ut facilius à Prælato licentiam obtineret, ut Policarpus ê Monaſterio exiret, ipſum vocavit in domum Confeſſionis prætextu, & rem habuerunt. Tenetur ad denunciandum?

1. RESp. 1. quod ſi Policarpus turpiter tractavit in domo cum Perpetua ſub figura Confeſsionis Sacramentalis, tunc denunciandus eſt. Sic communis opinio cum N. Antonio de Scoto diff. 34. num. 106.

2. Reſp. 2. Si Policarpus in domo non ſimulavit Confeſsionem, tunc non eſt denunciandus. Eſt etiam communis opinio cum Roncaglia, Salmanticenſibus, & Hebas de Pœnit. cap. 65. Sed Gonzalez Matthæo tract. 23. num. 330. & alij judicant, hunc Confeſſarium eſſe denunciandum, quia turpiter agit prætextu Confeſsionis. At probabilius alijs hoc non placet; quia hic prætextus non eſſet reſpectu pœnitentis, ſed reſpectu tertiæ perſonæ. Prætextus autem, de quo in præſenti, dicit invitationem falſam, & doloſam deceptionem pœnitentis, ex dictis quæſt. 3. & in caſu Confeſſarius, & fœmina jam prius deturpibus convenerant. Immo dicit Ligorius de Pœnit. cap. 3. num. 679. quod Confeſſarius in hoc caſu, fœmina ſe ægrotam fingente, denunciandus non eſſet, ſi præ-

tex-

textu Confeſsionis exequeretur peccatum; quia prætextus non ordinaretur ad ſolicitationem, ſed ad familiares decipiendos, & addit, quod hæc reſolutio eſt probabilior. Verum ego his non acquieſco; quia decipiendo domeſticos ſub ſpecie Confeſſionis, daretur Confeſsionis ſimulatio, ut dictum eſt ſupra, ſicque ex hoc capite denunciandus eſſet, ut amplius conſtabit. Secus vero, ſi nullo prætextu Confeſsionis, & nulla deceptione, ad fœminam ingrederetur, & ſolicitaret illam; licet domeſtici judicarent ingredi Confeſsionis prætextu. Taboada §. 4. num. 60.

CASUS 10.

Vrſicina cogitavit hoc medium, ne perſequeretur à Vitale Sacerdote, qui ſæpe alliciebat eam, ut peccaret cum illo. Cum Vitalis quodam die intraret in domum Matronæ, antequam verbum aliquod protuliſſet, dixit ei fœmina, quod experiebatur pati repentinam jacturam ſalutis, & quod ſtatim volebat confiteri cum illo. Ipſe autem de hac petitione non curans, ſolicitavit eam, ut frequenter ſolebat. Alia autem die, Vrſicina rogavit eum, ut ipſam inſtrueret quomodonam Confeſſionem generalem deberet cum ipſo facere, quia illum eligere volebat in Patrem Spiritualem. Quibus non obſtantibus, cum Vitalis continuaret ſolicitando eam tunc, & quotidie, quærit Vrſicina, an teneatur ad denunciandum illum?

1. JOannes Sancius in Selectis diſp. 11. num. 50. dicit, quod ſi contingat fœminam præſumentem â Confeſſario eſſe ſolicitandam, ei dicere animo ficto, ſe velle confiteri, cum tamen ſolum velit illa via coitum vitare, & adhuc Confeſſarius ſolicitationem præmittat, denunciandus erit: Quia cum ipſi non conſtaret de fœminæ fictione, quatenus ex ipſo eſt Confeſsionem diſuaſsit. Ex qua doctrina Sancij, reſpondeo, quod ſi Vitalis ex circumſtantijs cognoſcebat petitionem Urſicinæ eſſe fictam, & totum eſſe ſtratagema, & figmentum, ad expellendum eum ê domo, tunc non eſt reus ſolicitationis. Vide ſupra quæſt. 3. hujus diſp. num. 4. Verum, ſi Urſicina ſe-

ſerio Confeſsionem petijt, & ſerio jacturam ſalutis pati aſſeveravit, tunc Vitalis denunciandus eſt: Nam in primis datur petitio Confeſsionis proxima ex parte fœminæ, ſic externe manifeſtata: Deinde datur diſuaſsio Confeſsionis ex parte Confeſſarij: Et denique Confeſſarius continuavit ſolicitando fœminam.

2. Ad ſecundum, dico ſimiliter, quod ſi fœmina non tractavit de Confeſsione ſtatim facienda, ſed ſolum de inſtructione, quam deſiderabat in ordine ad illam, tunc vel talis petitio ex circumſtantijs agnoſcebatur ficta, vel ſeria? Si ficta; non eſt denunciandus. Si ſeria; tunc Gaſpar à Sancto Nicolao dub. 29. num. 185. aſſerit denunciandum eſſe Confeſſarium ſolicitantem fœminam, quæ ad ipſum accederet ad petendum conſilium, circa modum diſponendi Confeſsionem generalem, vel particularem; & ſic ſentit etiam ex Nuño, Taboada §. 4. n. 54. dicens, quod hæc eſt verior ſententia.

3. Sed contrarium, niſallor, debent à fortiori defendere quotquot aſſerunt, nullam eſſe occaſionem Confeſsionis in ſenſu Bullarum, niſi ſolicitatio ſit proxima Confeſsioni ſtatim faciendæ, & non ſolum conventioni de facienda Confeſsione, ſeu de facienda ea pro die craſtina, aut alia die. Etſi enim quærere opportunitatem ad exonerandam conſcientiam ſit quid connexum cum Confeſsione, tamen cum tractatus de Confeſſione poſsit ſe proxime, & remote ad Confeſsionem referri, dum tantum remote refertur, non intervenit vera occaſio, de qua Conſtitutiones loquuntur. Accedit, quod aliud eſt propoſitum confitendi, & aliud occaſio Confeſsionis, ut notavi ſupra caſu 7. n. 3. Vide etiam Pignatelli tom. priori conſ. noviſsim. conſult. 117. pag. 48.

4. Si autem quando pœnitens vult ſtatim confiteri, Confeſſarius ei Confeſsionem diſſuadet, dicendo ei, quod indiget plentori peccatorum examine, & hac fraude laſcivam intentionem conatur explere, tunc, etſi revera pœnitens nolit jam pro tunc confiteri, Confeſſarius denunciandus erit. Sanchez in Select. diſp. 11. num. 50. ubi dicit, ſic cenſere Viros graves,

ves, quos conſuluit. Et certe talis ſolicitatio, occaſione proxima Confeſsionis facta eſſet, etſi Confeſſarius hac fraude uteretur, Verum ſi Confeſſarius diſſuadens, Confeſsionem fœminæ non eſſet excepturus illius Confeſsionem, ſed excepturus eſſet illam alius Confeſſarius, tunc non compiehenderetur ſub Conſtitutionibus; quia tunc Confeſſarius ſe haberet, ac ſi laicus diſſuaderet Confeſsionem fœminæ, & illam ſolicitaret. Citatus Sanchez, eod. num.

DISPUTATIO III.

De ſolicitatione, quæ extra occaſionem Confeſſionis fit in Confeſſionario, aut in loco quocumque ad audiendam Confeſſionem deputato, aut electo, ſimulando ibidem Confeſſionem audire.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Confeſſionarium, quidque locus deputatus, aut electus ad audiendam Confeſſionem.

1. RESp. breviter ex Taboada §. 6. n. 81. quod Confeſsionatium eſt locus dumtaxat deſerviens pro Confeſsionibus excipiendis. Locus vero deputatus ad confitendum, vel eſt ipſum Confeſsionarium, aut aliquæ ſedes, in quibus ſolent Confeſsiones audire in die magni concurſus, & etiam crates, quæ etſi ob uſum, vel abuſum deſervire frequenter ſoleant in Monaſterijs Monialium ad urbane loquendum, certis tamen diebus, vel horis unice deſerviunt ad Confeſsiones audiendas. Locus denique electus ad Sacramentum Pœnitentiæ miniſtrandum, eſt quilibet locus electus pro libitu, ſive ſit Eccleſia, ſive domus, ſive ager.

2. Dixi conveniens cum præfato Authore, quod nomine loci deputati ad confitendum, vel intelligitur ipſum Confeſſio-

ſionarium, vel locus aliquis deſtinatus ad hoc munus exequendum pro aliquibus diebus, & horis, ut ſedes crates, &c. quia non me latet, quod in ſententia aliquorum, ſimiles ſedes, crates, &c. ſunt etiam Confeſsionarium: In quorum opinione, inter Confeſsionarium, & locum deputatum ad audiendas Confeſsiones, nulla eſt differentia, & ſic loquitur Joan. á Trinit. ſect. 4. dub. 1. num. 5. Alij autem, interquos Freytas in addit. ad Illuſtriſsimum Acuñam quæſt. 15. num. 49. & 51. autumant, quod ſubſellia, ſcamna, & ſimilia loca, in quibus ſolum aliquando Confeſsiones audiuntur, & frequenter Seculares in eis ſedere ſolent, non ſunt Confeſsionarium, in terminis Bullæ Gregorianæ. Sed judico, quod melius loquuntur alij, qui hæc, & ſimilia loca, vocant Confeſsionale promiſcuum, eo quod jam ad colloquendum, jam ad confitendum, jam pro Secularibus, jam pro Confeſſoribus, promiſcue deſerviant.

3. Adverto tamen, quod aliquis locus, qui reſpectu virorum dicitur Confeſsionale, & ut tale deputatum eſt, ſaltem pro aliquibus diebus, non erit Confeſsionale reſpectu fœminarum, ſi non eſt diſpoſitum in illa forma, quæ á Superioribus præcepta eſt, ut Confeſsiones fœminarum in illo excipi poſſint. Explico magis intentum: Sacrum Tribunal Inquiſitionis prohibuit anno 1710. quod Confeſsiones fœminarum non excipiantur, niſi per Cancellos mediantes inter Confeſſarij, & fœminæ pœnitentis facies; ſicut, & quod Confeſsiones fœminarum non audiantur in Sacriſtijs, Clauſtris, eorumque Capellis. Hinc etſi in his locis ſit aliquod ſcamnum, vel in Eccleſia aliqua ſedes, ſine Cancellis, inquibus ſolent ſedere Confeſſarij ad viros confitendum, hic, vel ſimilis locus non debet Confeſsionarium Mulierum cenſeri. Tum, quia Mulieres nunquam confitentur ibi. Tum, quia carentia Cancellorum, ſatis manifeſtat, quod etſi locus ſit Confeſsionale promiſcuum virorum, non eſt tale reſpectu fœminarum.

QUÆST.

QUÆSTIO 2.

Quid ſit ſimulatio Confeſſionis Sacramentalis.

1. NOTA, quod ſimulatio dividitur in materialem, & formalem. Cardenas in Criſi Theolog. diſſert. 20. cap. 1. num. 4. dicit, quod tunc datur ſimulatio materialis, quando quis dat ſigna externa factorum, vel rerum, indifferentia ad plura ſignificanda, per quæ præter intentionem, aliqui decipi ſolent. Hæc, ſi fit cum cauſa, non eſt mendacium, neque peccatum adhuc veniale, & ſic Chriſtus Dominus Luccæ 24. Diſcipulis euntibus in *Emaus finxit ſe longius ire.* Et Joſue cap. 8. dicitur: *Joſue vero, & omnis Iſrael ceſſerunt loco, ſimulantes metum, & fugientes per ſolitudinis viam.* Hæc enim ſimulatio fugæ â Joſue militibus ſuis præcepta, indifferens erat de ſe ad ſignificandum, ſive metum exercitus militum Joſue, ſive occaſionem opportuniorem pugnæ ad exercitum contrarium debellandum: Atque ideo â Sacris Intepretibus excuſatur â mendacio.

2. Simulatio vero formalis ex Divo Thoma 22. quæſt. 11. art. 1. in corp. eſt: *Mendacium quoddam in exteriorum ſignis factorum conſiſtens.* Qua propter ad hanc ſimulationem, ſicut ad mendacium, duæ requiruntur conditiones. Prima ſe habet ex parte ſimulantis, ſeu utentis prædictis ſignis, & eſt, quod habeat intentionem fallendi per illa, ſive formaliter, ſive virtualiter. Secunda ſe habet, ex parte rei ſimulatæ, ſcilicet, quando ſignificatum per talia ſigna, eſt falſum.

3. Gaſpar â Sancto Nicolao dub. 2. num. 23. ſic loquitur: Reſp. quod ut quis dicatur ſimulare ſimulatione propria (de qua Pontifex) omnino requiritur, quod utatur ſignis externis, quæ ex communi hominum conſenſu ſignificent id, quod quis ſimulat. Unde, ut pœnitens, & Confeſſarius proprie ſimulare dicantur Confeſsionem Sacramentalem, non eſt ſufficiens, quod Confeſſarius ſedeat in Confeſsionario, & pœnitens ſit flexis genibus coram illo colloquendo; ſed omnino etiam

requiritur, quod pœnitens faciat in ordine ad Confeſsionem, quod cæteri pœnitentes ſolent facere, ſcilicet, quod initio Confeſſionis ſigno Crucis ſe muniat, Confiteor Deo proferat, pectus humilitertundat, & nullam intentionẽ confitendi habeat. Et ex parte Confeſſarij ulterius requiritur ut ſimulet, quod fingat ſe Sacramentaliter pœnitentem vere de peccatis audire: Quod ſit gravis, modeſtus, & circunſpectus, quod ſimulet vere abſolutionem Sacramentalem dare proferendo aliqua verba, veluti ſi abſolutionis formam daret: Signum Crucis ſuper pœnitentem dextera manu eformans, ut regulariter fit, & utatur alijs ceremonijs, & ſignis externis conſuetis fieri in Sacramento Pœnitentiæ, ita ut circumſtantes intelligant, vel intelligere poſsint actum illum veram Confeſsionem eſſe. Ita cum multis Authoribus D. P. Angelus à Sancta Maria in ſuo Brev. Moral, Typis dato ann. 1734. Dom. 1. tract. 11. cap. 12. ℣. *Quid ſit ſimulare.*

4. Hanc explicationem tenet Mag. Joannes â Sanctiſsima Trinitate in Expoſit Bullæ Gregorianæ Sect. 4. dub. 1. pag. 79. n. 3. & in 4. concludit: Sola genuflexio coram Confeſſario non eſt ſufficiens ſignum ſimulatæ Confeſsionis. Eamdem tenet Donatus tom. 4. tract. 13. quæſt. 53. n. 2. Quia tunc (inquit ſimulatur Confeſsio, cum Confeſſarius fœminæ dicit Finge te Cruce ſignare, genuflectere, Confiteor dicere, pectus tunde Alij aſſerunt, tunc dari ſimulationem Confeſsionis, quando Confeſſarius ſedet in Eccleſia, aut alio loco, & fœmina admodum pœnitentis coram illo genufletit, ad aures loquens etiamſi, nec pectus tundat, nec dicat generalem Confeſsionem. Ita ad litteram citatus Mag. â pag. 47.

5. Taboada §. 5. num. 76. ſic ſimulationem explicat: Itaque ut prudenter Confeſsionem Sacramentalem præſumant circumſtantes, nec neceſſaria abſolutionis fictio, ut vult Hurtado (loquitur de Thom. Hurtado, qui cap. 4. per totum, & cap. 5. num. 76. expoſita ſigna pro ſimulatione adducit, vel quod Confeſſarius mentiatur, & circumſtantes decipiat) nec ſufficiunt Sacerdotis ſeſsio in quovis Eccleſiæ loco, & pœnitentis genuflectio loquendo ad aures ad invicem, ut Nuño conten-

tendit; ſed ultra requiritur aliud ſignum determinate Confeſsionem ſignificans, cujuſmodi eſt, ſe Cruce pœnitentem ſignare, vel dicere Confiteor, vel pectus tundere vel caput inclinare, veluti ſi abſolveretur, vel Confeſſarium abſolutionem verbo, aut manu ſimulare.

6. P. Dr. Joannes Matin de Sacram. Diſp. 4. Sect. 9. n. 202. reſolvit, quod ſola genuflexio mulieris loquens cum Confeſſario in Confeſsionario, aut alio loco ad audiendum Confeſsionem electo, non eſt ſufficiens ſignum ſimulationis: Quia is modus ſe habendi deſtitutus alijs ſignis conſuetis, non ſignificat determinate exercitium audiendi Confeſsionem: Cum ibidem ſæpe abſque animo confitendi alia negotia indifferentia propria, vel aliena ſoleant pertractari, & Conſilij, vel auxilij petendi cauſa, ad Confeſſarios defferri, ac cum ejs communicari, etiam flexis genibus, & interdum præmiſſo ſigno Crucis, ad poſtulandum ſecretum ad inſtar ejus quod clauditur ſub ſigillo Confeſsionis.

7. Sic etiam Author diſſert. Conferent. Moral. á pag. 62. ubi citat Hieronymum Rodriguez, Trimarchum, Acuñam, & alios. Giribaldus cap. 19. tract. 7. dub. 5. num. 23. referens Boſsium, Antonium â Spiritu-Sancto, & Bordonum. P. La-Raga in edit. noviſſ. illuſt. ab Univerſ. Dominic. Pampil. ann. 1760. tract. 4. de Pœnit. §. 15. pag. 82. citans Mag. Prado. Stant etiam pro hac ſententia Leander, Pintre, & Roncaglia, ad hanc quæſt. Et ſic ſentiunt plures, qui cum Didaco de la Fuente Hurtado diſſert. 19. num. 94. exponunt Conſtït. Gregor. de actu perfecto, & completo in genere ſimulationis, quia verba legis intelligenda ſunt cum effectu, & cum Conſtitutio pœnalis ſit (inquit hic Author) non eſt intelligenda de ſimulatione extracta ad ſenſus metaphoricos, & improprios, ſeu impropria, & abuſiba; ſed de ſola ſimulatione proprie tali debet exponi, ac intelligi; nam ſimulatio impropria potius eſt diſsimulatio, quam ſimulatio.

8. Oppoſitum docent alij non pauci, inter quos Verricel-

lus tract. 8. quæſt. 43. num. 2. citans Santhez Diſp. 11. in fin. Paulus, & Salmanticenſes ad hanc quæſt. Ligorius num. 680. citans alios. Et Pignatellus in noviſſ. Conſult. 117. citans Bordonum. Verum Bordon. ſibi ipſi contradicere videtur conferendo ſuam propriam Doctrinam tom. 1. cap. 23. à num. 43. & in Manual. Sect. 25. â num. 50. ut de Trullench notavit Leander, & obſervat P. Marin num. 197. addens in num. 199. quod hæc res pendet ex circumſtantijs, quæ infinities poſſunt diverſificari, & combinari, & ideo nequeunt comprehendi regulis univerſalibus adeo exactis, ut vi illarum decidantur omnes caſus, abſque arbitrio ſapientum, prudentum, & timoratorum.

9. Sed nota, quod licet opinio dicentium, quod ſola collocutio fœminæ genuflexæ ad aures interpollata cum Confeſſario non eſt ſufficiens ſignum ſimulationis Confeſsionis ut ſatis probabilis â tot Doctoribus tradatur pro foro conſcientiæ, cum tale ſignum ex ſe ſit æquivocum, ſive Confeſsionis, ſive diverſæ collocutionis, aut tractationis negotij pij, nihilominus in foro externo numquam præſumitur, quod fœmina ſic loquitur cum Confeſſario niſi in Confeſsione, vel ſimulando Confeſsionem. Quare Confeſsarij ſic ſolicitantes, licet nullum aliud detur ſignum Confeſsionem ſignificans, ſevere in Sancto Officio puniuntur. Cum enim hoc Sanctiſsimum Inquiſitionis Mexiceum Tribunal, quod ad fidei catholicæ puritatem perpetuo ſervandam Altiſsimus proſperum ſervet, nullis meis meritis mihi Qualificatoris honorem contulerit ſcribo quæ â Dominis Inquiſitoribus non ſemel audivi; & mihi certum, & indubitatum ita in praxi Sanctiſsimæ Inquiſitionis ſervari. Hæc ſerio ſcribo, & attente legenda ſunt, atque memoriæ commendanda: Ne forte probabilitate ductus, vel potius ſeductus, in manus Sanctiſsimæ Inquiſitionis incaute incidas.

QUÆST.

QUÆSTIO 3.

An fœmina teneatur denunciare Confeſſarium, qui eam ſolicitavit, extra occaſionem Confeſſionis in Confeſſionario non ſimulando Confeſſionem?

1. DIcit Summus Pontifex Gregorius in ſua Bulla: *Sive extra occaſionem Confeſſionis in Confeſſionario, aut in loco quocumque ubi Confeſſionis Sacramentales audiuntur, ſeu ad Confeſſionem audiendam electo ſimulantes ibidem Confeſſiones audire.* Sanctiſsim. Benedictus XIV. ſic: *Vel etiam extra occaſionem Confeſſionis in Confeſſionali, ſive in alio loco ad Confeſſiones audiendas deſtinato, aut electo, cum ſimulatione audiendi ibidem Confeſſionem.*

2. Notanter dicitur: *Extra occaſionem Confeſſionis:* Quia indubitatum eſt ex alijs clauſulis, quod Confeſſarius qui in Confeſsionario pœnitentem ſolicitaret immediate ante vel poſt Confeſsionem, vel occaſione, ſive pretextu Confeſsionis, denunciari debet, etſi nullatenus Confeſsionem ſimulet.

3. Valentinus à Matre Dei in Foro conſ. tract. 2. cap. 8. p. 1. num. 314. obſervavit, quod illa verba: *Simulantes ibidem Confeſſiones audire;* omiſſa ſunt in Edicto Santiſsimæ Inquiſitionis Generalis. Verum non ideo videtur præſens dubium deciſſum. Neque enim in Edicto, quod refert P. Redal in ſuo Compendio Theolog. pag. 48. fit mentio de loco ad Confeſſionem electo, & tamen, qui pœnitentem ſolicitaret ſimulando Confeſsionem, in loco electo ad Confeſsionem, ſive ſit in agro, ſive in domo, eſſet reus Conſtitutionis.

4. Videtur enim, vel quod Monitoria Generalia poſſunt intelligi juxta Conſtitutiones Apoſtolicas; vel quod aliquando ſe habent per modum indicis adjuvandam memoriam, ut de Synopſi Bullarum, quæ Regularibus legitur de mandato Sancti Officij Feria 6. poſt. Oct. Aſſumpt. in qua pariter omiſſa ſunt dicta verba, advertit ex Didaco de la Fuente R. Dr. Marin de Sacram. diſp. 4. ſect. 9. num. 194.

5. Cir-

5. Circa hanc itaque difficultatem certe graviſsimam ob placita Authorum diverſa, plures aſſerunt, Confeſſarium ſolicitantem, de quo loquimur, denunciandum non eſſe. Sic Roncaglia tract. 19. quæſt. 8. cap. 1. quæſit. 8. Pignatellus in noviſsim. Conſultat. 117. num. tertio ſubditur. Salmanticenſes tom. 5. tract. 21. cap. 4. §. 5. Leander diſp. 13. de Pœnit. quæſt. 30. Palaus tract. 4. diſp. 6. part. 8. num. 4. Delbene dub. 237. ſect. 11. n. 6. Joan. â Trin. ſect. 4. dub. 2. Freytas in addit. quæſt. 15. num. 49. & 51. & quæſt. 9. num. 21. Giribaldus de Pœnit. cap. 19. dub. 5. Marin ſect. 9. num. 194. & brevitati conſulens, Lezana, Rodriguez, Quaranta, Souſa, Fagundez, Trimarchius, Boſsius, Didacus de la Fuente, Thom. Hurtado, Donatus, Mag. Guerrero, & plures alij, ex quibus aliqui hanc ſententiam vocant plauſibilem, alij probabiliorem, ſaltem extrinſece: Et Eminentiſsimus Cozza dub. 17. pag. 86. teſtatur deciſſum fuiſſe â Sacra Congreg. Sanct. Officij die 11. Feb. 1661. non carere probabilitate.

6. Alij vero affirmant, Confeſſarium ſolicitantem in Confeſsionario denunciandum eſſe, etiamſi non ſimulet Confeſsionem audire. Sic Nuño, Salelles, Coriolano, Carena, Bonacina, Peirinus, Trullench, Diana, & Eſcobar, citati â Taboada §. 6. num. 87. Suntque plures alij pro hac ſententia, ut Bellochius, Redal, Matthæo, Antonius de Scoto, Matthæuci, Sabinus Bonon. & Poteſtas cap. 8. num. 611.

7. Principale hujus ſententiæ fundamentum videtur eſſe ſequens Decretum Pauli V. ann. 1614. *Facta relatione, quod multi Confeſſarij tractant cum Mulieribus in Confeſſionali extra occaſiouem Confeſſionis de rebus inhoneſtis, decrevit SS. ut contra hujuſmodi Confeſſarios procedatur in Sancto Officio.* Nec valet dicere, inquiunt Authores hujus ſententiæ, quod Gregorius XV. hoc Decretum declaravit, vel reſtrinxit in ſua Bulla ad terminos ſimulationis. Tum, quia leges anteriores non cenſentur abrogatæ per poſteriores, niſi ipſis ſint contrariæ; quia correctio legum vitanda eſt, quantum fieri poteſt. Tum, quia Con-

Conſtitutio Gregoriana dicit: *In Confeſſionario, aut in loco quocumque, &c.* quare cum particula *aut* diſtinguat, & disjungat Caſus, verba illa: *Simulantes ibidem Confeſſiones audire,* non appellant ſupra Confeſsionarium, ſed ſupra locum ubi Confeſſiones audiuntur, ſeu ad Confeſsionem audiendam electum: Et hic eſt (inquit cit. Poteſtas) germanus Conſtitutionis ſenſus.

8. Attamen, ex Authoribus contrariæ Sententiæ ad 1. reſpond. Freytas, quod Decretum Pauli V. ad Inquiſitores Romanos directum, alios non aſtringit, nec obligat. In hoc inclinat Dr. P. Joann. Marin, diſp. 4. ſect. 9. num. 195. dicens:
„ Quod Inquiſitio Hiſpana non meminit hujus Decreti, nec
„ illud publicavit, nec reſenſuit inter alia, quæ ad ſuum Of-
„ ficium ſpectant: Ideoque videtur revocandum ad poſterio-
„ rem Bullam Gregorij propoſitam univerſali Eccleſiæ. Dein-
„ de tale Decretum ſolum decernit, ut contra hujuſmodi
„ Confeſſarios procedatur in Sancto Officio, non vero preci-
„ pit denunciare Inquiſitoribus: Nec mandat Confeſſarijs
„ monere pœnitentes de obligatione denunciandi: Nec lo-
„ quitur de alijs locis deſtinatis ad audiendas Confeſsiones,
„ ſed ſolum de Confeſsionali. Et ut dicit Didacus de la Fuen-
„ te diſſ. 19. num. 97. non conſtat, an hujuſmodi Decretum
„ habeat authoritatem authenticam, præſertim requiſitam, ut
„ ubique poſsit obligare.

9. Alij autem magis communiter reſpondent Gregorium XV. per ſuam Conſtitutionem aut declaraſſe illud Decretum Pauli V. aut reſtrinxiſſe ad terminos ſimulationis; ſicque uterque Pontifex in eodem Decreto idem decrevit. Summus enim Pontifex ibi per ſermonem continuatum loquitur dicens: *Sive extra occaſionem Confeſſionis in Confeſſionario, aut in loco quocumque ubi Confeſſiones Sacramentales audiuntur, ſeu ad Confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem Confeſſiones audire.* Quæ ultima verba omnes Caſus antecedentes determinant. Hunc opinandi modum approbat Eminent. Cozza, dicens: „ Quia in
„ De-

„ Decreto Superius allegato habetur mentio de ſolicitatione,
„ quæ fit, vel occaſione, vel prætextu Confeſsionis: Si igitur
„ Confeſſarius, neque occaſione Confeſsionis, nec illam ſi-
„ mulando ſolicitet, probabile eſt fœminam tali modo ſoli-
„ citatam carere denunciandi obligatione: Ne videlicet in
„ pœnalibus admittamus extenſionem. Ubi, ut vides, prædi-
ctæ opiniones verſantur circa jus, eo quod Conſtitutio varie â Doctoribus intelligatur. Cum autem de ratione juris ſit, quod ſit manifeſtum, ut obliget, ex Canon. erit autem Lex, quia quando dubium eſt, & controverſum, non inducit obligationem certam pro una parte, potius quam pro alia; hinc inter Authores, hæc varietas opinandi ad hanc litem dirimendam.

10. Hæc omnia pro utraque parte perpendens Gaſpar â Sancto Nicolao dub. 31. num. 197. reſolvit hoc dubium dicendo, quod in caſu quæſtionis Confeſſarius denunciandus eſt. Et num. 199. citati dubij, dicit, quod Domini Inquiſitores non debent judicare ſecundum illam opinionem, quam in foro conſcientiæ Theologi ſequuntur, ſi non eſt juxta praxim Sanctiſsimæ Inquiſitionis: Verum nec Theologi tenentur ſequi opinionem juxta praxim in Tribunali receptam. Ex quo infert, ſtare optime, quod Theologi ſecundum ſuam opinionem, & in foro conſcientiæ Confeſſarium ſolicitantem liberent, & quod Domini Inquiſitores juxta ſuam, eum damnent.

11. Benedictus Gil Bezerra tract. 11. diſp. 3. de peccatis ſuſpectis, poſtquam agit de pœnis contra ſolicitantes, interrogat quæſt. 7. An Confeſſarius liberetur â pœnis ſupradictis quando pro actione, vel facto ſunt duæ opiniones certo probabiles, quarum una liberat Confeſſarium â crimine ſolicitationis in Bullis contento; altera vero eum non liberat â tali crimine? Ponit exemplum in opinione docente Confeſſarium ſolicitantem in Confeſsionario extra occaſionem Confeſsionis, & abſque ſimulatione Confeſsionis, denunciandum non eſſe, quam vocat probabiliorem oppoſita, ſaltem extrinſece.

Et

Et num. 176. reſolvit cum Nuño part. 1. quæſt. unica §. 2. & Thom. Hurtado tom. 2. reſol. Moral. tract. 5. cap. 6. quod probabilitas favens Confeſſario ſufficit, ut in foro conſcientiæ non denuncietur, non vero ſufficit, ut evadat pœnas contra ſolicitantes, ſi forte denunciatur: Hancque Concluſionem ibi probat per plura.

12. Fateor, quod hæc, non ſemel mecum ipſo meditans, habendo pre oculis illud vulgare: *Ne ſis pronus ad opinionem rigidam*, me in hoc, & alijs hujuſmodi dubijs, ſatis conſtituerunt implexum. Aliquando cogitavi, quod etſi in aliquibus dubijs, opinio benigna non approbetur pro regula certa, & communi pro foro conſcientiæ, expediens eſſe poteſt, illam non improbare, attentis qualitate, & circumſtantijs Caſus, â quibus rectum judicium prudentiæ foveatur. Unum dumtaxat inſinuo, quod opinio, quæ ſecundum ſe eſt certo probabilis, in aliquibus circumſtantijs poterit eſſe vere probabilis, in alijs, minoris probabilitatis, & in alijs fere nullius.

13. Si autem obſervaveris Declarationem Congregationis Sancti Offici 11. Feb. 1661. quam ſupra retuli num. 5. ex teſtimonio Emm. Cozza, & ſimul, quod Sanctiſsimus Benedictus XIV. in Conſtitut. *Sacramentum Pœnitentiæ* confirmat omnes declarationes præfatæ Congregationis, forte non ſine fundamento judicabis, quod opinio benigna, quantum ad præſens dubium, generaliter eſt probabilis pro foro conſcientiæ, ſpeculative, directe, & objective. Immo nec ſine fundamento dubitabis de Doctrina noſtri Matthæuci in Cautela Confeſſ. L. 1. cap. 5. num. 4. & num. 19. & Gaſparis â Sancto Nicolao dub. 31. num. 198. Sed adverte, quod Doctrina Authorum ſæpe eſt contra ſtylum Sancti Officij. Quare praxis Sanctiſsimæ Inquiſitionis eſt punire, Confeſſarium ſolicitantem in Confeſsionario, etiamſi Confeſsionem non ſimulet, eo quod abutatur loco ad Confeſsionem deſtinato. Hæcque iterum ſerio ſcribo attente legenda ſunt, & memoriæ commendanda, ut ad ſimile dictum manet quæſt. præced. in fine. Vide Bezerram, & Gaſp. á Sancto Nicolao citatos num. 10. & 11. hujus quæſt. & mihi conſtat ita ſervari

N PRO-

PROPONUNTUR, ET RESOLVUNTUR aliqui caſus pertinentes ad hanc diſputationem.

CASUS I.

Caſimira loquens cum Patritio, ſimulando Confeſſionem abſque occaſione, & prætextu Confeſſionis interrogata fuit ab eo: An ſoror ſua perſeveraret in amore cujuſdam juvenis? Deinde quibuſdam interjectis verbis (quorum nunc Mulier non recordatur, cum tranſierent ſexdecim menſes) dixit ei Patritius, quod Mulieres aliquæ eo devenerunt, ut vitreo inſtrumento, & aqua calida utantur ad venerem, & aliquas Mulieres amicorum ſuorum verenda ore aprehendere. Interrogavit etiam illam de diverſis alijs fœminis: An perſeverarent in amicitia ſuorum amantium? Qua ſerie, & contextu verborum, & qua occaſione, quove fine, & intentione, turpia illa exempla vitri, & oris, Patritius protulerit, dicit nunc Caſimira, non recordari. Deinde, poſt aliquod tempus, ſedente Patritio in Confeſſionario, Caſimiram ſtantem ſolicitavit, poſtea accedens ad ipſius domum oſculatus eſt eam, ac plurimos actus inhoneſtos commiſit cum illa. Quæritur: An Patritius ſit denunciandus?

1. CAſum hunc, ut practicum, proponit Angelus Maria Verricellus in tract. 8. Miſcellaneo quæſtionum moralium, & legalium, quæſt. 42. per totam, & reſolvit hunc Confeſſarium non eſſe denunciandum. Prob. 1. quia talis poterat eſſe ſeries, & contextus illius diſcurſus, ut verba illa, vel non reputarentur mala, etſi imprudenter prolata: Ut ſi Confeſſarius ea afferret, ut oſtenderet quantum aliqui â proprijs concupiſcentijs excæcati ſint, ut in turpiſsima ruant: Ergo Mulier, quæ poſtea non bene recordatur, totius facti, & omnium circumſtantiarum, quæ factum variare poſſunt, non tenetur denunciare.

2. Probatur conſequentia: Quia in denunciatione, denun-

cians

cians ſe habet ut teſtis, ut docent omnes: Ergo tunc tenetur denunciare, quando valide teſtificatur; tunc vero deobligatur, immo non poteſt licete denunciare, quando invalide teſtificaretur, & repelleretur à teſtimonio, ut docet Suarez de Cenſuris diſp. 20. ſect. 3. num. 11. ubi dicit. Quod quando quis nequit juridice denunciare, quia ejus denunciatio non juvat, tunc potius eſt infamare, quam denunciare: Et ex hoc infert, quod non debet denunciare. Sed hoc evenit in caſu, cum Mulier non recordetur totius facti: Ergo. Et roboratur: Quia quando teſtis aſſerit; ſe non bene recordari, neque totum factum narrat, vel non recordatur alicujus circumſtantiæ neceſſariæ, quæ poteſt variare factum, tunc illi non creditur, & teſtimonium ipſius nihil juvat, ſed repellendus eſt, quia non probat, ex Gloſſa in L. Lucius ff. de his qui notant, infamia. Ergo cum iſta Mulier dicat ſe non recordari, qua occaſione Confeſſarius protulerit ea exempla, repellenda eſt â teſtimonio, ut non probans, ſicque denunciare non debet.

3. Prob. 2. Quia tunc Confeſſarius eſt denunciandus, quando collocutio eſt mortaliter inhoneſta, non ſolum interne, ſed etiam externe; ſed hæc collocutio non fuit talis: Ergo. Prob. maj. Eo quod licet demus, quod parvitas materiæ non excuſet Confeſſarium, ut putant, excuſare Portell, Caſtro Palaus, & Souſſa cum circumſtantia Confeſsionis adeo aggravet, ut ſemper reddat collocutionem inhoneſtam mortalem, ſecundum communiorem ſententiam; tamen longe diſpar eſt ratio de Confeſsione actuali, ſeu de Confeſsionis actu, ac de ſola circũſtantia loci, ſcilicet, Confeſsionarij; nam hæc circumſtantia non aggravat, ſicut prima. Neque ex eo, quod Confeſſarius poſt aliquod tempus expreſſe ſolicitaverit fœminam, recte inferri poteſt, quod præcedens collocutio fuerit mortaliter inhoneſta; quia potuit poſtea tentari, & cadere.

4. His, & alijs rationibus fundatur hic Author, ad Confeſſarium liberandum in hoc caſu, addens in fine, quod eum diriſsime torſit, nec allatis rationibus potuit acquieſcere, donec mortuum eſſe Confeſſarium, agnovit. Et certe, quantum

attinet ad præfatum colloquium, adductis illis exemplis vitri, & oris, cum in rebus obſcenis, ſola narratio pravos animi motus in audientibus excitet, iſti ſermones, & ſimiles, ut inhoneſti, & turpes habendi ſunt. Puto, quod niſi alia circumſtantia interveniret, quæ compelleret ad aliter judicandum, hic Confeſſarius denunciandus eſſet.

CASUS 2.

Tiburtius Religioſus ſtricti Inſtituti, cognovit turpiter Joachimam virginem in domo ſua, quæ effecta eſt gravida. Conſcius Tiburtius hujus rei, cum ê Monaſterio exire non poſſit, & ſuum crimen celare procuret, atque honori Joachimæ conſulere, ambo excondicto ſimulando Confeſſionem, ſemel, & iterum loquuti ſunt de arbitrijs excogitatis ad invicem, ut peccatum non reveletur. Quæritur: An Tiburtius ſit violator Conſtitutionum?

1. RESp. proprijs verbis noſter Taboada n. 72. ubi dicit: Non denunciandum eſſe Confeſſarium, quando ipſe, & pœnitens elegerunt Confeſsionarium, Confeſſionemque ſimulare, ut ſic liberius tractarent circa modum occultandi peccatum jam patratum; verbi gratia: Qualiter, & ubi ſecreto Mulier gravida paritura, fœtus abſcondendus, vel quid ſimile: Modo tractatus unice ordinetur ad celandum crimen ab ipſis commiſſum. Talis enim tractatus licitus eſt, nec turpis, in Confeſsione vera, vel ficta. In hoc enim ſenſu (proſequitur) videtur locutus Ignatius Lupus, dum ait non denunciandum Confeſſarium, cum iſte, & Mulier ex condicto Confeſsionarium eligere, ut liberius tractarent de modo occultandi ſuum peccatum. Videtur enim loqui de peccatis antecedenter commiſsis, ut ipſe magis explicat diff. 9. num. 67. Ita citatus. Sed hæc intellige de ſimulatione materiali Confeſsionis, non de formali Sacramenti. Nihilominus, ut imprudentem haberem hunc Confeſſarium. *Qui amat periculum, peribit in illo.*

CA-

CASUS 3.

Sedente Juvenali in loco indifferenti ad Confeſſionem, & ad alia munia, acceſſit ad eum Theodula, & cum eo loquuta fuit cauſa petendi concilium, una vice, ipſa etiam ſedente; alia vice genuflexa coram eo. Quæritur, an hic intervenerit ſimulatio.

1. PRimus Caſus poteſt non ſemel contingere in aliquibus ſubſellijs, quæ præſertim reperiri ſolent in pluribus Capellis foraneis, in quibus omnes indiferenter ſedere ſolent, etſi aliquando etiam Confeſsiones excipiantur in eis. Et quod in tali caſu non detur ſimulatio aliqua requiſita in Conſtitutione, mihi videtur certum. Non enim tale ſubſelium eſt Confeſsionarium, nec diſpoſitum, ut ſuppono, in forma Confeſsionarij. Immo nec in ſecundo caſu dari ſimulationem, docet expreſſe Taboada §. 5. num. 73. juxta probabilem ſententiam, illa enim ſigna equivoca ſunt, & indifferentia, neque determinate Confeſsionem ſignificant. Aliqualiter confirmatur hoc ex Nuño num. 457. ubi dicit, quod ſi Confeſſarius ſedet in ſcamnis Eccleſiæ, & Mulier genuflexa prope ipſum aliquando loquitur ad aures, & poſt ſeparatur, & Confeſſarius ſimilia facit, ut accidit multoties, tunc non præſumitur ſimulatio. Id ipſum docet Valentinus in Foro Conſcientiæ cap. 8. punct. 7. num. 332. verum ſtatim moderate intelligendum eſſe hoc putat, addens, quod ſi fœmina ſtans, vel ſedens, turpiter tractabat cum Confeſſario, & pro brevi tempore Mulier genuflexa fuit ad vitandam notam alicujus inopinate tranſeuntis, & Confeſſarius ſedeat, abſque alio ſigno exterioris Confeſsionis, tunc non datur propria ſimulatio, neque hunc Confeſſarium eſſe denunciandum, quia nec proprie ſimulavit Confeſsionem, nec hoc ex propoſito fuit factum. Neque denunciandum, ſi ita â principio ſimulaverunt, & Confeſſarius eſt opinionis rectæ, & hoc pro una vice fuit factum, ſed occulte corrigendum: Attamen ſi hoc ſecundo attentaverit, judicat favendum eſſe cauſæ piæ Sancti Tribunalis. Verum hæc non ſatis cohærent (inquit Taboada) quia ſi datur propriæ ſimula-

mulatio, tam pro prima, quam pro ſecunda vice denunciari debet. Si non datur proprie ſimulatio, non datur ſolicitatio in Gregoriano Decreto prohibita. Unum tamen eſt indubitatum in hac varietate opinandi, quod ſi intervenit aliquod ſignum determinate Confeſsionem ſignificans, Confeſſarius ſic ſolicitans eſt denunciandus. Vid. etiam Gaſp. á Sancto Nicolao num. 201.

CASUS 4.

Cum quædam mulier intraſſet veſpere in Eccleſia, vidit Eventium Confeſſarium, turpiter cum Maxentia in Confeſſionario agentem, ſed ſine ulla ſimulatione Confeſſionis. Hinc quæſivit, an eum denunciare teneretur.

1. PRO hujus caſus reſolutione, præter dicta quæſt. 3. hujus Diſp. videri poſſunt Antonius â Spiritu Sancto de Pœnit. tract. 5. Diſp. 18. §. 2. & Lupus in Edict. part. 1. lib. 5. diſt. 2. art. 1. diff. 5. Illum vero proponit Magiſt. Aramburu, & attentis circumſtantijs horæ, Confeſsionalis, & alijs, â Confeſsione extraneis, apud ipſum videndis, plura dextere adunat in favorem opinionis benignæ, eam non ſemel teſtans cum alijs, eſſe probabiliorem oppoſita, ut noviſsime docet quoque P. Larraga. Quorum occaſione ſequentes quæſtiunculas perfunctorie propono.

2. Quæres 1. An Domini Inquiſitoris teneantur ſequi opinionem probabilem, quæ delinquenti favet? Reſp. negative contra Thom. Hurtado de ſolicit. T. 4. c. 8. reſol. 62. §. 3. num. 877. ubi citat alios. Ratio eſt ex Bezera Diſp. 3. de pec. ſuſp. quæſt. 7. quia quilibet Judex juſte, recte, & laudabiliter procedit praxim ſui Tribunalis ſequendo: Ergo DD. Inquiſitores non tenentur ſequi probabilitatem faventem delinquenti, ſi opinio ei favens, ut in caſu adducto, non eſt in praxi Sanctæ Inquiſitionis recepta.

3. Idem Bezerra, & Gaſp. â Sancto Nicolao dub. 31. num. 200. addunt, quod DD. Inquiſitores in caſu probabilitatis debent

bent procedere juxta praxim Tribunalis. Sed ab hoc abſtinendum eligo, ne temeritatem redoleat reſolvere de pertinentibus ad Judices adeo in ſuo munere optime inſtructos, prudentia ornatiſsimos, ſapientia perilluſtres, & alijs mille præſtantijs conſpicuos.

4. Quæres 2. An Confeſſarius debeat abſolvere pœnitentem, qui non vult denunciare cum opinione certo probabili, quod denunciare non tenetur? Quod poſsit ipſum abſolvere, eſt communis opinio, de qua iterum infra Diſp. 4. quæſt. 10. num. 3. & in terminis præſentis caſus docetur â Taboada §. 6. num. 93. ex Torrecilla, & Corella. Difficultas eſt, an debeat? Affirmat Thomas Hurtado ſup. citat. Cum Vaſquez, Mag. â Sancto Thoma, utroque Sanchez, & Diana, & huic ſententiæ ſuffragatur Gaſp. á Sancto Nicolao dub. 20. num. 141. eſtque ratio; quia Confeſſarius debet abſolvere pœnitentem, bene diſpoſitum; & pœnitens recte diſpoſitus eſt, conformando ſuam conſcientiam opinioni practice probabili. Accedit, quod ſuppoſita Confeſsione pœnitentis, ſi hæc fuit de peccatis mortalibus, videtur materia gravis ipſum obligare, ut iterum peccata ſua alteri manifeſtet, quando diſpoſitus recte eſt ad abſolutionem. Sic Anton. â Sipiritu Sancto citat. num. 1475. Vide illum, & laudatos Taboada, Hurtado, Bezerra, & Gaſp. â Sancto Nicolao, & hæc pauca de hac defficillima materia ſufficiant, addendo, quo fœmina denunciante, Confeſſarius punietur. Sic Nuño 2. part. num. 383. & 393. etſi Confeſſarius ſtet, & fœmina ſedeat.

CASUS 5.

Stanislaus Sacerdos ſimplex, cum non haberet ubi libere loqueretur cum Pancratia vicina ſua de turpi amore, quo erga eam accendebatur finxit ſe approbatum pro Confeſſionibus audiendis, eamque ad Confeſſionarium vocavit. Cœpit confabulari cum ea de negotio mere urbano; ſed tractu converſationis ſecutum fuit turpiloquium mutuum, nec non mutua ſolicitatio, ſimulando Confeſſionem; taliter, quod ex illo

tunc,

tunc, Pancratia omnibus ejus intentionibus impudicis conſenſit. Quæritur: An Stanislaus liberari poſſit, ne denuncietur?

r. RESp. Staniſlaum indubitanter denunciandum eſſe, ſive prædicta exercuiſſet ſimulando Confeſsionem, ſive in vera Confeſsione, credente Pancratia, quod habebat juriſdictionem abſolvendi á peccatis. Siquidem, in primis non excuſatur, eo quod ſit ſimplex Sacerdos, ſeu non habens juriſdictionem abſolvendi, & contrarium damnatum eſt â Sanctiſsimo Benedicto XIV. in illis verbis ſuæ Conſt. *Etiamſi Sacerdos ſit, qui juriſdictione ad abſolutionem valide impertiendam careat.* Quare ſententia contraria, quam docuerunt Souſa, Portel, Fagundez, & alij, eo quod, cum Sacerdos in tali caſu cognoſceret, quod Sacramentum non conficeretur, nullam injuriam Sacramento irrogabat, jam non manet probabilis. Et merito, quia ut recte advertit Bordonus in Manuali ſect. 25. n. 5. majorem injuriam facit Sacramento Pœnitentiæ in tali caſu, Sacerdos carens facultate ad abſolvendum: Et ob hanc rationem revocat ibi, quæ in favorem opinionis ſubverſæ docuit tom. 1. cap. 23. num. 64. & 68.

2. Neque excuſari poteſt in caſu, eo quod turpiloquium, aut ſolicitatio fuerit mutua, & contraria opinio, quam docuerunt Bordonus, Joann. á Trinit. & alij, etiam damnata eſt in illis verbis ejuſdem Benedictinæ Conſtitut. *Aut ſolicitatio inter Confeſſarium, & pœnitentem mutua fuerit.* Solicitatio autem mutua tunc contingeret juxta Joan. â Trin. ſect. 5. dub. 7. quando fœmina prius ſolicitat Confeſſarium ad actus turpes, & Confeſſarius poſtea ſolicitat eam ad copulam. Vel tunc accideret juxta Dianam, tom. 5. tract. 9. reſol. 62. quando Confeſſarius, & fœmina ſe mutuo pellicerent: Primo fœmina Confeſſarium, poſtea Confeſſarius fœminam. Si enim Confeſſarius primo ſolicitaret fœminam, licet poſtea fœmina non ſolum annuat, ſed etiam eum ſolicitet, hæc non eſſet in rigore ſolicitatio mutua, ſed cenſenda eſſet, ac ſi ſolus Confeſſarius ſolicitaret, ut advertit citatus â Trinit. in eodem dub. 7.

Si-

Similiter, ſi fœmina ſolicitaret Confeſſarium, & ſtatim pœniteret, & Confeſſarius poſtea ſolicitaret eam, hæc ſolicitatio non eſſet mutua, quia ſolicitatio fœminæ, cum ſtatim pœnituerit, debet cenſeri non exiſtens, ac per conſequens, ſolum Confeſſarium eſſe in caſu ſolicitantem; adque ideo denunciandum, vel dicendum eſt cum Delbene dub. 237. ſect. 7. num. 21. quod poſtquam fœmina ceſſavit á ſolicitatione, conſtituta fuit in ſtatu, ac ſi nunquam ſolicitaſſet.

3. Ex his oritur, quod quando Confeſſarius præciſſe conſentit fœminæ eum ſolicitanti, tunc non datur ſolicitatio mutua proprie loquendo, ſed tantum improprie, & metaphorice. Quoniam, ad mutuam ſolicitationem, requiritur mutua allicentia, vel provocatio activa, ex parte fœminæ, & ex parte Confeſſarij: Et Confeſſarius mere conſentiens ſolicitationi factæ á fœmina, non allicit, nec provocat active fœminam. Quapropter, Confeſſarius præciſſe, & mere conſentiens ſolicitationi, eſt male utens Sacramento, & infidelis Miniſter, cum non diſtrahat pœnitentem á turpibus, ut ex officio diſtrahere tenetur: Non tamen eſt abutens Sacramento, & ſolicitator; quia ex parte ſua nec provocat, nec allicit, nec poſtulat, nec inducit pœnitentem ad aliquid turpe. Ad ſummum enim dici poteſt, quod inducat, alliciat, & provocet verbo conſentiendo, ſed hoc non eſt active, & proprie provocare, allicere, & inducere. Contrarium vero eſſet dicendum, ſi fœmina provocaret Confeſſarium ad copulam, & Confeſſarius copulam renueret, & eam alliceret ad tactus turpes; nam in hoc caſu proprie alliceret fœminam ad turpia, quantumvis ad minus turpe.

4. Neque excuſari poteſt Staniſlaus in propoſito eventu, eo quod fœmina ejus turpiloquio, & ſolicitationi conſentiret; & contrarium aſſerere, etiam damnatum eſt â Sanctiſsimo Benedicto XIV. in illis verbis: *Sive ſolicitationi pœnitens conſenſerit, ſive conſenſum minime præſtiterit.* Hoc enim jam ante hanc Conſtitutionem præceptum erat â Sacra Congregatione, & per Edicta Sanctæ Inquiſitionis. Non tamen tenetur fœmina con-

ſenſum ſuum propalare, nec ſcribitur in actis, ſive fœmina, ſive Confeſſarius illud manifeſtet. Solum itaque tenetur ſolicitationem Confeſſarij denunciare, proprium conſenſum reticendo, ut dictum eſt alibi.

5. Ex quibus iterum ſubjungo id, quod paulo ante dicebam, nimirum, conſenſum Confeſſari ſolicitationi pœnitentis, non arguere ſolicitationem mutuam, ut aliqui putant, inter quos Trullench tom. 1. lib. 1. cap. 3. dub. 18. num. 51. Si enim hoc ita eſſet, videtur, quod ſicut Summus Pontifex damnando opinionem Portel, Sairi, & aliorum, qui judicarunt, fœminam conſentientem non teneri ad denunciandum, utitur dicta expreſsione: *Sive ſolicitationi pœnitens conſenſerit, ſive conſenſum minime præſtiterit.* Sic etiam, ſi per ſolicitationem mutuam intelligeret, & comprehendere voluiſſet conſenſum Confeſſarij á pœnitente ſolicitati, jus ſuum dixiſſet apertius, cum dicere potuiſſet: *Sive Confeſſarius ſolicitet pœnitentem, ſive ejus ſolicitationi conſentiat;* & non uteretur præciſſe illis verbis: *Aut ſolicitatio inter Confeſſarium, & pœnitentem mutua fuerit.* Accedit, quod ut dentur mutua ſponſalia, requiritur promiſsio mutua ex parte utriuſque ſponſi, & non ſufficit, quod unus promittat, & alter acceptet. In hoc enim caſu nulla ſunt ſponſalia, ut preter alios docet Gonzalez Matthæo in Summa tom. 2. tract. 28. §. 1. num. 1.

CASUS 6.

Terentius interrogatus fuit in Synodo, an denunciandus ſit Confeſſarius, qui fœminam ſolicitat, non quidem ſibi, aut alij copulandam; ſed ut mediet, vel intercedat, ut alia fœmina in fornicationem conſentiat. Hinc quærit, quid reſpondere debeat?

1. RESp. quod Souſa tract. 1. cap. 14. num. 3. dicit hunc Confeſſarium non eſſe reum pœnarum contra ſolicitantes: Eo quod talis ſolicitatio non ſit directa ad exequendum carnis flagitium cum fœmina pœnitente. Acuña q. 17. num. 8. quem ſequitur Freytas n. 14. probabile hoc reputat,

rat, & addit quod ſententia contraria eſt probabilior. Cæterum cum pœnitentem inducere, ut mediet ad hoc ut alia fœmina in fornicationem conſentiat, inhoneſti, & turpes ſermones ſint, talis Confeſſarius indubitanter comprehenditur in illis verbis: *Aut cum pœnitentibus illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerint:* Sicque temere Conſtitutiones violaret. Vide Sanchez in Selectis diſp. 11. num. 44.

DISPUTATIO IV.

De cauſis excuſantibus à denunciando Confeſſarium ſolicitantem, ac de alijs, quæ convenit Confeſſarium ſcire pro intelligentia hujus materiæ.

QUÆSTIO 1.

An fœmina ſolicitata teneatur denunciare Confeſſarium, quando ſolicitatio eſt antiqua, ſeu à die, qua commiſſa fuit, longum tempus effluxit?

1. NOTA quod per longum tempus aliqui intellexerunt quadraginta dies, alij unum annum, alij biennium, alij quatuor annos, alij decennium, alij vero cenſerunt hanc taxationem relinquendam eſſe arbitrio boni viri, quæ omnia notat Barboſa de Dictionibus uſu frequentioribus, dict. 90. Quoad hoc ultimum conſonat Gloſſa ſuper Leg. ſi finita titul. 2. ff. de damno infecto: Et quod per longum tempus intelligatur deccennium, docet Schmalzgrueber, part. 1. titul. 4. de Conſuetudine §. 3. num. 9. ex princip. Inſtit. de Uſucap. & ex L. fin. C. de longo tempore præſcrip.

2. Joannes à Sanctiſsima Trinitate ſect. 7. dub. 6. in fine, Joſeph Gil de Taboada §. 10. num. 153. Jacobus Pignatelli tom. 1. Conſultationum noviſsimarum Cannonicarum Conſ. 117. num. fateor, Gaſpar à Sancto Nicolao dub. 24. n. 162.

Ægidius Trullench tom. 1. lib. 1. cap. 3. dub. 18. num. 28. Thom. Hurtado tract. 4. cap. 8. reſol. 43. §. 3. num. 467. Bezerra in Expoſit. Conſtit. Benedict. & apud iſtos Freytas, Rivius, Farinacius, Alciatus, Homobonus, Riccius, Sanchez, Miranda, Lupus, Maſcardus, alijque plures, per longum tempus intelligunt triennium; quare loquendo de delinquente per multos annos, aut per longum tempus emendato, tres annos exigit communis opinio Doctorum, inquit Delbene, part. 2. dub. 237. ſect. 13. petit. 2. ubi etiam citat Fagundez, Souſam, Acuñam, Peirinum, & Lezanam: Et ſic loquitur Leander tract. 5. diſp. 3. de quibus iterum quæſt. 4. hujus diſp. Pro qua opinione videtur facere Lex ſi probaveris ff. de fid. Commiſ. Ibi: *Si probaveris per multum temporis non minus in tali cauſa triennio:* Et quia *multum temporis* non eſt tempus breve, nec longiſſimum, creditur longum.

3. Bordonus tom. 1. cap. 30. num. 9. vel videtur intelligere quinquennium per longum tempus, vel quod crimen ſolicitationis quinquennio præſcribitur ex L. 2. C. de Apoſt. ubi prohibetur ne ultra quinquennium quæratur de ſtatuto vitæ alicujus. Quapropter ibidem num. 11. ſic loquitur: Si ſcio hodie Petrum blaſphemaſſe hæreticaliter anno præterito, nullam habeo excuſationem denunciandi prætextu unius anni. Si vero hodie venio in cognitionem, Petrum non Sacerdotem celebraſſe quinque ab hinc annis tranſactis, poſſum me tueri ea præſcriptione. Hinc in ſententia hujus Authoris, etſi delictum hæreſis numquam valeat præſcribi, hoc tamen non eſt ſic, loquendo de delictis ſuſpicionem de hæreſi inducentibus.

4. Hujus opinionis meminit Conſtantinus Roncaglia tract. 19. quæſt. 8. cap. 2. quæſit. 4. ubi quærit: An ceſſet obligatio denunciandi ex eo, quod tranſactum ſit longum tempus? Et reſp. his verbis. Quoad delictum hæreſis numquam præſcriptio datur favore delinquentis contra Judicem, Can. ſane 6. cauſ. 24. q. 2. unde etiam poſt mortem hæreticus eſt denunciandus, ex Bordono, & Carena. In alijs vero delictis ceſſat obligatio denunciandi per mortem delinquentis, qui etiam

tem-

tempore quinquennij præſcribit adverſus judicem, ne procedere poſsit contra ſuum crimen, ex Bordon. in Trib. cap. 36. â num. 8. Hinc ſi perſona ſolicitata, vel culpabiliter, vel inculpabiliter omiſsit per integrum quinquennium denunciare, excuſari poterit â denunciatione, quando aliter non præſcribant particularia Diœceſum Edicta. Ex his etiam haberi poteſt, an teneatur denunciare fœmina, quæ ab initio non percepit verba Confeſſarij inducere ad turpia, ſi poſt aliquod tempus fuiſſe ſolicitatam cognoſcat: Hæc excuſari non poteſt â denunciando, niſi integrum elapſum fuerit quinquennium. Hæc citatus Roncaglia, ſuper quæ advertendum eſt quod licet per Edicta Sanctæ Inquiſitionis Parmenſis, cujus Conſultor erat Laudatus Franciſcus Bordonus, jam tunc præceptum eſſet, ut denunciarentur crimina ad Sacrum Tribunal ſpectantia, etiam ſi longum tempus effluxiſſet, hoc intelligit ipſe ſolum quoad hæreſim, eo quod in Edictis dicatur: *Maxime de hæreſi;* & dictio *maxime*, in jure non ſemel ſumitur pro *tantum*. Videatur ſi placet, hic Author.

5. Hæc varietas opinandi forte fundatur in his, quæ communiter tradunt Cannoniſtæ in lib. 2. Decret. agendo de longo tempore requiſito ad præſcriptionem actionum criminalium: Ex quibus aliquæ præſcribuntur ſpatio viginti annorum, aliæ vero ſpatio minoris temporis, aliæ denique nunquam præſcribuntur. Et loquendo de illis quæ quinquennio præſcribuntur, communiter aſsignantur crimen peculatus, adulterij, ſtupri, inceſtus, lenocinij, & cætera crimina obnoxia pœna legis Juliæ de adulterijs, ut habetur leg. peculatus ff. ad leg. peculatus: Et L. Mariti 29. §. hoc quinquennium, de quo præter alios videri poteſt Schmalzgrueber, part. 3. tit. 26. §. 7. num. 121. Aliæ vero nullo tempore præſcribuntur, ut parricidium, ſtuprum per vim illatum hæreſis, &c. His notatis.

6. Aſſero ad quæſt. Denunciandus eſt Confeſſarius ſolicitans, etiamſi longum tempus à die ſolicitationis effluxerit. In hoc nulla poteſt eſſe hodie dubitatio, quia ſic expreſſe deciſſum eſt á Sanctiſsimo Benedicto XIV. in Conſtitutione Sacramen-

mentum Pœnitentiæ, per hæc verba: *Vel longum tempus poſt ipſam ſolicitationem jam effluxerit*. Quare ſi quæ difficultas hic ſuperanda eſt, ab explicatione longi temporis pendet; unde diſputandi gratia.

7. Dices: Opinio dicentium, quod longum tempus ſunt tres anni, videtur fundata,& quidẽ non ſolum extrinſece, ſed intrinſece,quia cum probabile ſit,quod taxatio longi temporis relinquitur arbitrio boni viri, ut ex Vaſquez docet Alloza Verb. Lex, ſect 6. num. 7. fol. 561. ſunt varij Doctores optimi nominis, qui per longum tempus tres annos intelligunt; quare ipſamet probabilitas extrinſeca hujus opinionis, videtur intrinſeca probabilitas ipſius. Nunc ſic: Ergo quando â die ſolicitationis ſex anni tranſacti ſunt, poteſt fœmina ſolicitata Confeſſarium ſolicitantem non denunciare. Prob. conſeq. Sex anni, juxta dictam opinionem non ſunt longus tempus, ſed longa tempora, cum ex binario numero trium annorum coaleſcant, & tres anni ſoli longum tempus conſtituant: Ergo quando â die ſolicitationis ſex anni tranſacti ſunt, tunc videtur, quod ſumus extra caſum Conſtitutionis; quia tunc non ſolum effluxit longum tempus, ſed effluxerunt longa tempora. Confirmatur: Quia ſicut duo homines non recte dicuntur unus homo, ſic etiam, nec duo tempora longa, recte debent dici longum tempus: Et ſicut Lex quæ diſponeret de uno homine, non recte cenſeretur diſponere de duobus hominibus, ſic pariter, Lex diſponens de longo tempore, non debet cenſeri diſponens de temporibus longis.

8. Verum omittendo alios reſpondendi modos, quos tu poteris cogitare, vel conſulere, ego reſpondeo, quod taxatio longi temporis non eſt relinquenda niſi arbitrio judicis. Admodum quo, ut aliquod factum ſit notorium, dubitant Doctores, quot hominum requiratur ſcientia, & adſtantium multitudo? Et quia aliqui requirunt notitiam totius viciniæ, alij majoris partis, alij decem hominum, alij trium, hinc plauſibilis eſt ſententia hanc reſolutionem reponens in arbitrio judicis, & ſic docent Maſcard. de Probat. Concl. 1107. num. 18. Paſſerin.

rin. in Trib. Regul. q. 10. n. 3. Haunold. tom. 6. de Juſt. & jur. tract. 2. num. 29. Reiffenſt. Lib. 5. Decretal. tit. de acuſ. num. 250. & alij plures. Et quidem cum maximo fundamento; nam quod á jure non eſt taxatum, vel definitum, cenſetur commiſſum arbitrio judicis. Ergo ſi de taxatione longi temporis, in caſu de quo loquimur, nihil expreſſe definitum eſt â jure, & alias placita Doctorum ſunt diverſa, hoc arbitrio judicis relinquendum videtur. Unde in Leg. ſi Servus ff. de jure deliberandi, dicitur: *Cum dicit tempus, nec adjicit diem, ſine dubio oſtendit eſſe in jus dicentis poteſtate, quem diem præſtituat.*

9. Attamen ſi contra me inſurgis dicendo, quod hoc verum eſt pro foro judiciali, non vero omnimodis certum, & indubitatum pro foro conſcientiæ, cum opinio, quæ taxationem longi temporis relinquit arbitrio viri prudentis, improbabilis non ſit; ſi concurrant aliæ circumſtantiæ conſiderandæ, & non contemnendæ, de quibus infrà quæſt. 4. tunc fateor, non eſſe hoc mihi facile definire, ut ibidem etiam repeto. Interim vero.

10. Quæris: An qui diceret quod fœmina ſolicitata non tenetur denunciare, quando â die ſolicitationis effluxit longiſſimum tempus, reſolveret contra Conſtitutionem *Sacramentum Pœnitentiæ?* Reſp. quod attentis verbis Conſtitutionis, non reſolveret contra illam. Ratio eſt ex cap. 57. de Reg. jur. in 6. ubi dicitur: Contra eum, qui legem dicere potuit apertius eſt interpretatio facienda. Atqui Sanctiſsimus Benedictus in dicta Conſtitutione non præcipit denunciare ſolicitationem etſi longiſsimum tempus effluxerit, ſed tantum dicit, *etiamſi longum tempus effluxerit:* Ergo attenta nuda littera, & cortice verborum, non reſolveret contra Conſtitutionem, qui diceret Papam noluiſſe tempus longiſsimum comprehendere.

11. Confirmatur: Quia cum verba mentem Legiſlatoris explicent, non eſt recedendum â verbis legis, maxime quando verba ſunt clara, ut habetur cap. ad audientiam de Decim. Leg. non aliter ff. de legat. 3. Immo neque verba hujuſmodi admittunt interpretationem, nec conjecturam volun-

tatis, ut ex jure, & cum communi Doctorum probat Barboſa axiomate 222. num. 32. Et id ſive lex ſit odioſa ſive favorabilis; quia nec prima eſt reſtringenda, nec ſecunda eſt amplianda, niſi quantum patiuntur clara verba legis ſecundum propriam, & uſitatam ipſorum ſignificationem, ut cum Suarez, Laiman, & Palao, docet Roncaglia, tract. 3. de Leg. quæſt. 4. cap. 2. quæſit. 3. Atqui Pontifex in dicta Conſtitutione de ſolo longo tempore expreſsionem facit: Ergo quia longiſsimum comprehendere noluit, neque hoc eſt in Conſtitutione comprehenſum. Accedit, quod non expreſſa, non nocent. L. 195. ff. de Reg. jur. in 6. Et quod clara expreſsio longi temporis, videtur excluſsio longiſsimi.

12. Propter has rationes, & alias quæ apud Authores non occultantur, judico, quod hæc doctrina ſequi poteſt attentis circumſtantijs, de quibus infra quæſt. 4. modo alicubi non ſit aliquod Edictum Sanctiſsimæ Inquiſitionis in contrarium. Etſi enim ſolus Summus Pontifex, & Concilium Generale, habeant authoritatem condendi jus Cannonicum, ut dicit Roncaglia tract. 4. de Cenſuris, quæſt. 7. cap. 1. quæſit. 1. tamen Joannes Sanctius in ſelect. diſp. 11. num. 56. aſſerit, ex Suarez, quod præceptum impoſitum per Edicta Dominorum Inquiſitorum non minorem habet vim, quam lex Cannonica: Cum poteſtas Tribunalis Sanctæ Inquiſitionis Apoſtolica Authoritate feratur: Atque id ipſum identicis verbis docet Delbene part. 2. dub. 237. ſect. 13. Petit. 4. num. 8. ubi præter Suarez, & Sanctium citat. Fagundez, & Avilam.

QUÆSTIO 2.

An fœmina ſolicitata poſſit excuſari â denunciando, prætextu correctionis fraternæ?

1. RÉſponſum præbet Decretum Sanctiſsimi Alexandri VII. incipiens, *licet alias*, ann. 1660. in quo poſtquam confirmat Conſtitutionem Pauli V. emanatam die 1. Septembris anni milleſsimi ſexcenteſsimi ſexti, diſtriſte præ-

præcipientis in ea Superioribus Regularium, ne aliquo titulo, vel prætextu in cauſis ſuorum Subditorum ad Sanctum Officium ſpectantibus ſe intromittant, aut immiſceant; proſequitur ſequentibus verbis.

2. „ Et quia quandoque, etiam eorum Subditi deficiunt „ in eo, quod ipſis implendum incumbit cum Religioſis ejuſ„ dem, alteriusque Ordinis, alijsve quibuſcumque perſonis, „ de fide ſuſpectis, cæterisque petentibus conſilium in mate„ rijs ad Sanctum Officium ſpectantibus, ita ut nedum ipſi„ met denunciationes differant, vel ab illis prorſus abſtineant, „ verum etiam multoties ab eiſdem alios â ſe conſilium pe„ tentes retrahant malis artibus, vel mendicatis Doctorum „ opinionibus, vel ſub fraternæ correctionis factæ, vel facien„ dæ, alio ve prætextu: Propterea, idem Sanctiſsimus decla„ ravit, præfatos Subditos abſque ulla participatione, etiam „ nulla petita venia â Superioribus, etiamſi nulla correctio „ fraterna, vel alia monitio præmiſſa fuerit, omnino teneri, „ & obligatos eſſe accedere ad denunciandum ordinarijs, vel „ Inquiſitoribus locorum quoſcumque etiam Confratres, ac „ Superiores etiam primarios ſuos ejuſdem Ordinis, & Re„ ligionis, quos noverint eſſe de fide quomodolibet etiam le„ viter ſuſpectos: Ac propterea eoſdem debere omnes, & „ quoſcumque etiam alios â ſe conſilium, ut ſupra, petentes, „ monere, & obligare ad denunciandum. Nec poſſe illos â „ denunciando ſub dictæ fraternæ correctionis, vel alio quo„ vis prætextu retrahere, aut retardare. Et præfatos omnes „ tam Superiores, quam Subditos contra facientes, Sanctitas „ ſua voluit, & declaravit ſubjacere omnibus cenſuris in di„ cta Conſtitutione Pauli V. expreſsis, nec non privationis „ quarumcumque dignitatum, &c.

3. Dices: Non eſt poteſtas creata etiam Summi Pontificis, quæ obligare poſsit Edicto, aut monitorio, quovis anathemate obfirmato, ut teneamur delictum occultum propalare, non præmiſſa correctione fraterna. Siquidem correctio fraterna, & denunciatio Evangelica ſunt de jure naturali, & di-

vino, quæ per nullum jus poſitivum humanum, aboleri poſſunt. Dicitur enim Matth. 18. ℣. 15. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum.* Verba autem hæc præceptiva ſunt, utpote imperativa, ut tenet communis Cannoniſtarum, & Theologorum, & ſic deciſſum extat C. cum ex injuncto 12. ℣. ne quiſpiam de Hæret. Ubi Alexander III. & Innocentius III. hujuſmodi correctionem fraternam vocant mandatum divinum, & Evangelicam Regulam, ſicque per nullum jus poſitivum Pontificium aboleri poterit.

4. Reſp. 1. Nobis ſufficere, quod Summus Pontifex ita præcipiat, ut obedire teneamur, abſque eo, quod ſcrutemur rationes. Deinde omittendo quod bonum publicum prævalet particulari, & alias reſponſiones, quæ à Doctoribus aferuntur, non erit novum dicere, quod præceptum divinum aliquando Eccleſiaſtico cedat, ex benigna interpretatione voluntatis divinæ, & hæc erit ſecunda reſponſio, ex Præpoſito Stephano Dolz de Pœnit. Areola 1. n. 8. etſi ad aliud intentum, quam explico ſequenti paritate.

5. Præceptum divinum eſt, juxta communem Theologorum, ſi Medinam, & Palacium excipias, quod Confeſsio mortalium Sacræ Communioni præmittenda ſit, ex illo Divi Pauli: *Probet autem ſe ipſum homo;* quod ipſe Sanctus Apoſtolus teſtatur ſe accepiſſe â Chriſto Jeſu, per illa verba: *Ego enim accepi à Domino.* Nihilominus valde probabile eſt, quod Sacerdos non habens copiam Confeſſarij, & exiſtens in peccato mortali, poteſt cum ſola contritione celebrare in die feſto, ſi ex non celebratione Miſſæ, multi, & ipſe omiſſuri ſunt audire Sacrum. Similiter, poteſt probabiliter cum ſola contritione celebrare, in caſu quo plures omiſſuri eſſent communionem, quam tempore Paſchatis accipere debent. Ubi notandum eſt, quod præceptum audiendi Sacrum eſt humanum Eccleſiaſticum, ſicut etiam præceptum communicandi in Paſchate: Præceptum vero non communicandi, niſi præmiſſa Confeſsione, dum adeſt conſcientia peccati mortalis, eſt divinum: Ergo ſi

in his caſibus poteſt voluntas divina à Doctoribus privatis interpretari, potiori jure hoc poterunt in aliquo caſu Supremi Paſtores Eccleſiæ.

6. Accedit in fine, quod neque Summus Pontifex, nec Domini Inquiſitores prohibent correctionem fraternam abſolute, ſed tantum prohibent, quod prætextu correctionis fraternæ denunciatio non omittatur. Pro quo ſit.

QUÆSTIO 3.

An pœnitens ſolicitatus poſſit fraternè corrigere ſolicitantem, & ſimul denunciare illum?

1. AFFirmative reſpondet P. Viva in expoſitione propoſitionis quintæ damnatæ ab Alexandro VII. Et ex noſtris Hiſpanis, id ipſum affirmant Hebas cap. 73. Nuño num. 141. Taboada §. 10. num. 150. Moya in Selectis diſp. 5. quæſt. 2. §. 4. n. 17. & alij, ut infra videbimus.

2. Quare volunt hi Authores, quod Confeſſarius ſolicitans denuncietur, & quod ſimul fraternè corrigatur. Audiamus citatum Moya: Me judice (inquit) Domini Inquiſitores in Edictis, & Alexander VII. in Decreto non præcipiunt quod non fiat correctio fraterna, ſed quod propter illam non omittatur denunciatio. Utrumque enim præceptum poteſt ſimul adimpleri, & naturale de corrigendo fratre, ab iterando peccato illum removendo, & poſitivum humanum de denunciando Inquiſitoribus, ut emmendatio, quæ correctione intenditur, citius obtineatur, & eficaci hoc medio ab alterius ſolicitatione cohibeatur, & metu pœnæ abſtineat.

3. Hic modus opinandi fundatur in hoc: Quia præcepto divino, & naturali correctionis fraternæ obedire debemus, ſemper, & quando correctio fraterna prodeſſe poteſt; ſed licet Confeſſarius denuncietur, poteſt ei prodeſſe correctio fraterna: Ergo. Min. prob. Quia tunc Confeſſarius ſi non eſt in Sancto Officio præventus, & comparet ſpontanee, liberabitur à pœnis. Tum, quia etſi Confeſſarius timore perterritus, nolit

lit ſpontane comparere, forte non citabitur â Dominis Inqui- ſitoribus, & ſemel correctus, cautius procedet in poſterum, ac per conſequens ei correctio proficiet.

4. Sed quia dubium hoc â nemine melius reſolvitur, quam â Sanctiſsimo Benedicto XIV. in ſua Synodo Diœceſana lib. 6. cap. 11. â num. 5. audiamus ejus doctrinam per ſua propria verba fideliter tranſcripta, & ſunt ſequentia, uſque ad calcem hujus quæſtionis.

5. Cum itaque aliquando contingeret, & alias contigiſſe conſtaret, ut perſonæ ſolicitationem paſſæ admonitæ á Confeſſario de obligatione ipſis impoſita denunciandi ſolicitantem, huic antea rem communicarent, ut ipſe quoque ſibi conſuleret, idem Tribunal adeundo, ſuumque reatum ſponte accuſando; quidam Epiſcopi, corrigendorum criminum zelo flagrantes, hujuſmodi communicationem pro abuſu valde pernicioſo accipientes, cogitaverunt ut peculiaribus Edictis, aut Synodalibus Conſtitutionibus diſtricte inhiberent, ne perſonæ ſolicitatæ ſolicitantibus quidquam ſignificare auderent, quo hi ad ſponte comparendum excitarentur.

6. Favebant ipſis Edicta tum ab Hiſpanica Inquiſitione, tum ab ea, quæ per Siciliam conſtituta eſt, emanata, quibus injungitur ſolicitatis, ut ſolicitantem denuncient, hoc addito, ut nemini id antea ſignificent: Bannes in 2. 2. quæſt. 33. art. 8. dub. 2. in ſeptimo argumento, Sanchez in Selectis diſp. 11. num. 57. Diana edit. coordin. tom. 5. tract. 9. reſol. 68. num. 3. Felix Poteſtas tom. 2. part. 2. de denunciatione num. 257.

7. Cum vero hujuſmodi clauſula in Edictis ſupræmæ Romanæ Inquiſitionis minime appareat, non deerant tamen alia quibus veluti fundamentis inniteretur dictorum Præſulum ſolicitudo, ut ea, quæ meditabantur, re ipſa decernerent, atque ſtatuerent. Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 33. art. 7. in corpore, expreſſe docet in criminibus etiam occultis fraternam correctionem judiciali denunciationi minime præmitendam, quin immo confeſtim judici deferenda eſſe, quoties ejus generis ſint, ut etiam in occulto ad ſpiritualem tendant proximorum per-

perniciem, quemadmodum in hæreſis crimine evenire non dubitatur.

8. Præterea Silvius ad cit. art. 7. concluſ. 3. certas quorundam Regularium Ordinum Conſtitutiones, tamquam juſtitiæ conſonans tuetur, quæ ſtatuunt, delicta quædam, abſque prævia correctione fraterna, Superiori ſtatim denunciari debere. Quod vero plurimum refert, illud eſt, Alexandrum VII. Pontificem Maximum, in Congregatione Sancti Officij coram ipſo habita die 8. Julij anno 1660. illorum reprobaſſe opinionem, qui docebant, crimina ad S. Officij juriſdictionem ſpectantia, denuncianda illi non eſſe, niſi correctio fraterna præceſſerit. Quod quidem Decretum in Opere Cardinalis Albitij de inconſtantia in fide cap. 35. n. 44. & ſeq. editum eſt.

9. Nec ſilentio prætereundum, quod ex prævia admonitione, quæ à ſolicitato ante denunciationem ſolicitanti fit, juſtitia vindicativa non leve patitur detrimentum. Etenim ſi Reus ad ſe accuſandum coram Tribunali compareat, ante quam ſolicitatus ad illum denunciandum accedat, ex conſueta Tribunalis pietate, tamquam ſponte comparens, ſalutaribus dumtaxat impoſitis pœnis, dimittitur. Nec aliter ſe res habet, ubi ſolicitans Judicibus ſe ſitat ſemetipſum incuſans, etiam poſtquam à perſona ſolicitata fuerit denunciatus; tunc enim ſi ab unica tantum perſona præventus fuerit non amplius quidem uti ſponte comparens, verum ac ſi eſſet ſponte comparens, ſalutaribus ſolum mulctatis pœnis, dimittitur.

10. Dubitari nequit, quin allata rationum momenta aliquam vim præſeferre videantur: Verum, cum nulla lege, aut decreto prohibitum ſit, quominus ſolicitantem ſolicitatus admoneat, ut quoniam ab eo denunciandus eſt, interea temporis cavere ſibi feſtinet; optimum factum viſum eſt, Præſulibus ſignificare, ut á quocumque Edicto, vel Synodali Conſtitutione ſuper hoc promulganda ſe ſe abſtinerent, remque totam intactam relinquentes, non quidem approbarent eorum agendi rationem, qui delinquentem Confeſſarium ante denunciationem monendum cenſebant, ſed neque, eam improbarent;

cum

cum in quibuſdam rerum circumſtantijs, hujuſmodi admonitio perniciosa eſſe, & pravos effectus producere valeat; in alijs autem proficua eſſe poſsit: Siquidem, ut ſæpe experiendo dignoſcitur, vix unquam ſolicitatus adduci poſſet, ut ſolicitantem denunciaret, niſi liberum illi eſſet, eundem antea admonere. Ex quo ſequitur, ut id non ab Edictis, aut Conſtitutionibus, verum â ſpiritualium directorum prudentia definiri debeat.

11. Diximus autem, nullam hactenus legem, nullumque decretum adeſſe, quo interdictum ſit, ne quis Confeſſarium â ſe denunciandum antea commonefaciat. Verum duos caſus diſtinguere oportet. Alter ad illum pertinet, qui denunciare omnino recuſat, quia ſecretam admonitionem ſatis ſuperque eſſe cenſet; vel recuſat ad tempus, propterea quod non dum fraterne reum denunciandum admonuit: Idque ab Alexandro VII. damnatur, qui non ideo quemquam ab onere denunciandi, immunem fore decernit, quia fraternam correctionem non antea præmiſſerit. Alter caſus eſt de eo, qui reum quidem admonet, verum non idcirco ab eodem denunciando ſe abſtinet. Hoc autem eſt, quod nulla adhuc lege, aut decreto vetatur; cum ſic, & correctionis naturale preceptum, & ſimul denunciationis poſitivum adimpleatur. Ita differunt Sanchez in Selectis diſp. 11. num. 56. Eſcobar in tract. de Confeſſ. ſolicit. part. 2. quæſt. 4. §. 1. num. 56. Roccafull in Praxi Theologiæ Moralis part. 3. lib. 3. cap. 6. num, 96. & 97. Thomas Delbene de Officio Inquiſitionis part. 2. dubit. 218. ſect. 21. num. 20. Diana in edit. coord. tom. 5. tract. 9. reſol. 68. Dandinus in tractatu de ſuſpectis de hæreſi cap. 4. ſect. 2. Subſect. 1. num. 18. Pignatellus in noviſsimis Conſultationibus tom. 2. conſul. 143. num. 14.

QUÆSTIO 4.

An in aliquo caſu particulari, & rariſſimo poſſit fœmina ſolicitata excuſari à denunciando prætextu correctionis fraternæ: Vel ſaltem quando Confeſſarius eſt emendatus?

1. ETSI longum ſit diſcrimen inter hæreticum, & de hæreſi ſuſpectum, qualis eſt Confeſſarius ſolicitans, hæc quæſt. tam de hæretico, quam de hæreſi ſuſpecto procedit: Occaſione præbente Divo Thoma 2. 2. quæſt. 33. artic, 7. ubi poſtquam docuit hæreticos, etiam occultos, denunciandos eſſe judicialiter, prætermiſſa correctione fraterna, eo quod hæretici valde nocivi ſint, & ex correctione fraterna non ſperatur remedium hujus damni, addit ſequentia verba: *Niſi forte aliquis firmiter exiſtimaret, quod ſtatim per ſecretam admonitionem poſſet hujuſmodi mala impedire.* In quibus verbis notare oportet, quod Sanctus Doctor tria requirit, ſcilicet, quod detur firmiſsima conjectura, & certiſsima ſpes impediendi malum, & ideo dicit: *Firmiter exiſtimaret.* Inſuper, quod malum impediendum ſit ſine dilatatione, & ideo addit: *Statim.* Ac proinde, quaſi prudentiam Lectorum monendo, rariſsimum hunc caſum reputans, conditionate loquitur, dicens: *Niſi forte.*

2. Hanc Angelici Magiſtri limitationem in caſu expoſito non carere probabilitate, ſtando in jure divino, judicati ſunt quam plures ex omni Schola, immo non pauci Doctores majori amplitudine loquuti ſunt, ut nemo eſt qui ignoret. Sed quia attento præcepto humano Eccleſiaſtico, aliter diſcurrendum eſt, ideo advertere oportet, quod etſi ante Decretum Sanctiſsimi Alexandri VII. ſupra quæſt. 2. relatum, jam eſſet præceptum per Edicta Sanctiſsimæ Inquiſitionis, ut denunciarentur hæretici, & de fide ſuſpecti, prætermiſſa correctione fraterna, ut teſtantur Trullench tom. 1. lib. 1. cap. 3. dub. 18. n. 23. & Illuſtriſsimus Tapia in Catena Morali tom. 2. lib. 1. de fide quæſt. 7. artic. 2. num. 7. & lib. 3. de charitate quæſt. 7. artic. 5. in fine; tamen hic Illuſtriſsimus Author exiſtimavit hunc caſum ab humano præcepto excipi: Eo quod creden-

dum

dum non ſit, Eccleſiam pijſsimam Matrem voluiſſe, in ſuo præcepto â jure divino diſcordare, aut rigidius gubernare filios ſuos; additque ibidem, ſic communiter ſentire Diſcipulos Divi Thomæ. Verum quantum ad hoc, merito dubitant Salmanticenſes tract. 21. de Præcep. Decalog. cap. 3. punct. 9. num. 98. & negari nequit, quod plures ex Divi Thomæ Diſcipulis, contrarium opinati ſunt.

3. Verum enim vero, cum poſt Decretum Sanctiſsimi Alexandri, opinio, quæ docebat præmittendam eſſe correctionem fraternam ante denunciationem hæretici, abolita ſit, ac per conſequens, opinio quæ docebat, fieri poſſe in aliquo caſu particulari, & rariſsimo, ſi non eſt penitus abolita, multum infirmata eſt; ideo reſtringendo hoc dubium ad terminos ſolicitationis, eo quod ſolicitatio non ita immediate, ſicut hæreſis, tendat contra bonum fidei, hæc quæſtio difficilior videtur. Videantur Trullench loco ſupra citato, Thomas Hurtado tom. 1. Reſol. Moral. cap. 6. §. 1. â num. 84. & Leander tract. 5. de Sacram. Pœnitent. diſp. 3. quæſt. 4. Sed quia iſti ante citatum Decretum ſcripſerunt, videantur Larraga in Promptuario tract. 4. in fine. Sed in noviſsima Edit. Summæ hujus Authoris ommiſſa ſunt quantum ad hoc verba antiquæ Salmanticenſes tract. 21. de Præcep. Decalogi cap. 14. punct. 4. §. 3. per totum, & Valentinus â Matre Dei in foro conſcientiæ tract. 2. cap. 8. §. 10. punct. 6. num 331. etſi non omnes eodem modo loquantur. Nam Larraga inclinari videtur in hoc quod opinio de correctione fraterna ſequi poteſt in caſu rariſsimo, ſed hunc caſum ut impoſsibilem judicat. Salmanticenſes, poſtquam plura adducunt, in favorem hujus opinionis, contrariam ſequuntur. Valentinus vero, ſic loquitur.

4. Adverto tamen, quod ante denunciationem ſe reddat ſecurus de rectitudine illius pro utraque parte, qui eam facturus eſt: Nam accidere poteſt, quod caſus ſit tali circumſtantia veſtitus, ut non videatur eſſe contra Pontificum, & Dominorum Inquiſitorum voluntatem deſiſtere â denunciatione. V. gr. Si Cofeſſorem reum ſolicitationis, conſtat eſſe puri ſangui-

guinis, & non pravis operibus aſſuetum, & Reipublicæ habitum in honore, & de quo firmiſsima datur ſpes emendationis, ſi faternaliter corrigatur, videtur poſſe valere pro illo opinionem de correctione, & aliam ex relatis. Corella in ſua Pract. tract. 6. de ſexto Præcep. cap. 10. num. 184. in 8. impræſſ. Vid. Thom. Hurt. tract. 4. num. 86. & cap. 8. â num. 514. Sed ad hæc poteſt occurrere Inquiſitionis Tribunal, & ego cum eo dicens: Quod ad illud attinet has habere, aut facere præventiones: Et quod nemo excedit illud, nec pietate, nec ſolicitudine, & ſolertia indagando veritatem prudenti, & juſto zelo. Hucuſque citatus Author, quæ Doctrina in noviſsima Edit. Fori etiam ommiſſa eſt.

5. Ob hæc forte, Author Breviarij Carmelitani, poſtquam Authores utriuſque opinionis refert, & fundamenta pro utraque parte allegat, dubium hoc, ita nodoſum, & difficilem judicavit, ut irreſolutus maneat. Gaſpar vero â Sanct. Nicolao dub. 36. num. 227. hoc expendens, dicit ſe mirari valde, hunc Virum alias doctiſsimum, ut ſua eximia opera moralia teſtantur, in hac difficultate irreſolutum manſiſſe, quando pro negativa, vera, & ſecura ſententia ſtant Edictum Sanctiſsimæ Inquiſitionis, Decretum Sanctiſsimi Alexandri, & deciſsio Supremi Tribunalis die 27. Septembris 1628. Sed cum relatus Doctiſsimus Carmelitanus etiam loquatur in caſu rariſsimo, nimirum, quando delictum ſolicitationis manet occultum, Confeſſarius eſt vir bonæ converſationis, magnæ authoritatis, & abſque aliqua ſuſpicione malæ doctrinæ, atque ibidem addat, quod de ſuo crimine jam eſt emendatus; neſcio, an omnia quæ citatus Gaſpar conglomerat, ſint omnimodis convincentia, contra dictum opinandi modum. Cum enim caſus non ſit communis, & regularis; ſed particularis, & rariſsimus, ut ſupponimus, eo quod veſtitus ſit circumſtantijs rariſsimis, & particularibus, merito quæri poteſt: An ſit poſſibilis, vel impoſsibilis? Si eſt impoſsibilis, tunc quæſtio eſt de ſubjecto non ſupponente. Si poſsibilis; tunc ejus reſolutio non videtur ita facilis, cum non ſit æque facile reſolvere ali-

quem caſum ordinarium, & regularem, ac irregularem, & extraordinarium. Vide Doct. Euphrates in Cynoſ. pag. 186. Sed fuſsius omnibus agit de hac re Antonius â Spiritu Sancto de Pœnit. tract. 5. diſp. 18. §. 6. â num. 1464. ubi Decretum Sanctiſsimi Alexandri exponit, ſed in fine Oraculo, Sanctiſsimi conſultius totum relinquit.

6. Nihilominus, præſcindendo pro nunc ab emendatione, de qua ſtatim, non propter dicta recedo â ſententia affirmante, Confeſſarium ſolicitantem etiam in caſu rariſsimo, de quo loquimur, denunciari debere, quin excuſari poſsit prætextu correctionis fraternæ. Tum, quia hæc ſententia Conſtitutionibus Pontificijs, Decreto Sanctiſsimi Alexandri, & Edictis Sacri Tribunalis, magis conformis eſt; nec non zelo fidei, & pietati chriſtianæ magis conſona: Atque Authoribus magis familiaris, & communior, ob plures rationes, quæ apud ipſos videri poſſunt. Tum, quia cum lex, quæ prohibet omiſsionem denunciationis prætextu correctionis fraternæ, generalis ſit, & non limitata, congruum, vel juſtum eſt, ut ſine limitatione aliqua intelligatur. Perpende dicta quæſt. præcedenti num. 11.

7. Sed quia aliter, aliterque diſcurrendum eſt de correctione, ac de emendatione, cum correctio fraterna reſpiciat emendationem ut futuram; ideo videamus nunc, an ſaltem fœmina ſolicitata excuſari poterit â denunciando, quando ſibi certo conſtat, quod Confeſſarius jam eſt emendatus. De omni Confeſſario moveri poteſt hoc dubium; ſed ne â terminis præcedentis diſcedam, demus etiam, quod Confeſſarius ſit puri ſanguinis, clari nominis, utilis Reipublicæ, aut alijs circumſtantijs ornatus. Neque procedit difficultas de quacumque emendatione, ſeu de emendatione ſimplici, ut dicere ſolemus, ſed de emendatione certa, conſtante, perſeverante, & per multum tempus comprobata. Et in hoc ſenſu, cum in rebus moralibus, dubia ita dependeant frequenter â circumſtantijs quod una circumſtantia appoſita, vel ablata, caſus appareat diverſus, dubium hoc, difficultate non caret.

8. Cir-

8. Circa quod advertendum eſt, quod licet plura ſigna emendationis ab Authoribus tradantur, nihil tamen difficilius apud ipſos, quam ipſam emendationem cognoſcere in praxi, ut teſtantur Pignatelli, Roncaglia, Hebas, Albitius, Salmanticenſes, & alij plures. Hinc aliqui opinati ſunt, tunc Confeſſarium cenſeri emendatum, quando Mulier ſolicitata ter, aut quater ad ipſum accedens non reperit in eo ſigna libidinis: Vel ſi lucratus eſt Jubileum: Vel ſi ex Clerico ſeculari ad Religionem advolavit: Vel ſi ex Religione laxa ad arctiorem tranſijt: Vel ſi ejus modus vivendi, converſandi, & celebrandi mutetur: Vel ſi ſit homo inſignis authoritatis; & ſemel, aut iterum ſolicitavit: Vel ſi poſt ſolicitationem ſtatim dedit ſigna doloris: Vel ſi eſt ſenex, & maturæ ætatis, de quo prudenter præſumitur, quod ex urgentiſsima paſsione ſolicitavit: Alijque hoc reliquunt arbitrio prudentis viri, qui cum prudentia, & maturitate qualitatem perſonæ, ſigna, & circumſtantias conſiderare debet.

9. Denique, communis opinio eſt, quod perſeverantia in vita honeſta per longum tempus, ut per triennium, ſit ſignum emendationis, ut videri poteſt apud Leandrum, Pignatelli, Taboada, Joannem Sanchez, & alios, quos retuli ſupra quæſt. 1. hujus diſp. á num. 2. Etſi contra hoc reponis cum Pignat. tom. 1. Conſultationum noviſsimarum conſul. 117. num. fateor, & Roncaglia tract. 19. quæſt. 8. cap. 2. in Regulis pro praxi, num. 2. difficile eſſe fœminam ſolicitatam poſſe habere in praxi talem prudentem credulitatem, nempe, Confeſſarium per triennium à crimine ſolicitationis abſtinuiſſe; reſpondeo cum Illuſtriſsimo Tapia loco ſupra citato quæſt. 7. de fide concedendo hoc non eſſe facile cognoſcere, verum non eſſe omnino impoſsibile. Quoniam ad hæc cognoſcenda non expetenda eſt certitudo mathematica, aut evidentia metaphyſica, ſed ſat eſt, quod detur certitudo moralis, quæ ex bonis conjecturis, & circumſtantijs colligenda eſt. Si enim in hujuſmodi (addit hic Author) quæramus majorem certitudinem, nec poſſemus Sacramenta adminiſtrare, aut recipere, nec alia in-

inter homines tractare, quæ hanc ſolam certitudinem petunt. Hinc.

10. Leander tract. 5. de Sacram. Pœnit. diſp. 13. quæſt. 7. propugnat quod opinio aſſerens Confeſſarium ſolicitantem emendatum denunciandum eſſe, & opinio ipſum â denunciatione excuſans, probabiles ſunt, verum quod hæc ultima eſt probabilior, & quod tuto ſequi poteſt, niſi aliud ex mandato Dominorum Inquiſitorum conſtet citatque pro ea viginti ſex Doctores; & Thomas Hurtado tom. 1. tract. 4. cap. 8. reſol. 43. â num. 465. allegat viginti novem. Sed quia iſti Authores, & omnes ex illis, quos citant, ſcripſerunt ante Decretum Sanctiſsimi Alexandri VII. eorum doctrinam in tota latitudine, qua ab ipſis docetur, admittere non poſſumus.

11. Doctor Joannes de Hebas tract. 5. de Pœnit. cap. 78. dicit, quod opinio aſſerens Confeſſarium ſolicitantem emendatum liberari poſſe á denunciatione, his temporibus nequit practice defendi; quia Sacrum Tribunal Inquiſitionis compulit quendam Authorem gravem ſui temporis, ut illam retractaret, quod, & fecit in fine tom. 2. ſuorum operum. Ego judico hunc Authorem fuiſſe P. Torrecilla, qui hanc opinionem retractat in fine tom. 2. Summæ Moralis, licet in aliquibus impreſsionibus reperiatur hæc retractatio in fine tom. 1. ejuſdem Summæ. Sed quia Hebas Authorem non nominat, & P. Torrecilla indiſtincte loquutus fuit de hæreticis, & de hæreſi ſuſpectis, ſicut, & de emendato abſolute ut tali, & non in terminis, niſallor, præſentis dubij, & magis expreſſe; de correctione fraterna; etſi verum ſit, quod Hebas refert, caſus propoſitus videtur ex parte diſsimilis.

12. Taboada §. 10. â num. 151. cum alijs, quos citat, probabile reputat poſſe omitti denunciationem in hoc caſu, ſcilicet, quando Confeſſarius emendatus eſt per multum tempus, ſi delictum eſt occultum. Nam ſatis eſt rationi conſonum, quod non denunciatur Sacerdos longevus, & honoratus, magna forſam in dignitate Conſtitutus, ob lapſum præteritum in ætatis ſuæ flore. Quoniam moraliter creditur, non

evehi ad dignitates niſi viros honeſtæ vitæ, ac illos, qui exemplariter vixere per longum tempus. Immo addit, practicari poſſe hanc ſententiam, quando Confeſſarius per triennium bene vixit, effectusque eſt Parochus, aut Prælatus: Licet etiam infra hoc tempus poſsit emendatio credi, quia non omnes metiendi ſunt una regula, ſed perpendendæ circumſtantiæ perſonarum, temporum, vitæ, aliarumque mutationum. Quibus notatis.

13. Dico 1. Regulariter, communiter, & abſolute loquendo, Confeſſarius ſolicitans emendatus, eſt denunciandus. Ratio eſt, quia alias tam Conſtitutiones Apoſtolicæ, quam Edicta Dominorum Inquiſitorum, paſsim illuderentur, ut ommittam alia fundamenta, quibus hæc reſolutio firmatur.

14. Dico 2. Si Confeſſarius ſolicitans eſt nominis clari, honoratus, Reipublicæ utilis, ſolicitatio eſt occulta, & ipſe de hoc crimine certo moraliter emendatus eſt, emendatione comprobata per multum tempus, ut per ſexennium, vel decennium, ut ſupra expendebam quæſt. 1. hujus diſp. & alias fœmina denunciare illum renuit; in hoc caſu, liceat mihi uſurpare ſequentia verba Joannis Sancij in Prologo Selectarum, dicentis: Conſultius eſſe liberantem opinionem conſulere, dum condemnantem difficile eſſe amplexandam timetur. Quando enim aliqua ſpecialis ratio contrarium ſuadet, lex generaliter loquens ſolet non intelligi generaliter ex leg. Hæres abſens ff. de hæred. Inſtitut. & generaliter dictum ſolet non referri ad extraordinaria L. ſcio Amico §. Medic. ff. de ann. legat. maxime dum nullum periculum fraudis intervenit.

15. An autem, etſi omnes præfatæ circumſtantiæ verè concurrant, teneatur fœmina denunciare, ſi ipſa parata eſt ad denunciandum, non audeo breviſsimo tempore reſolvere. Conſule Authores ſupra citatos, præſertim modernos, & doctiores interroga, nam ego ſpinas, & tribulos pro utraque parte recognoſco.

16. Non pigeat videre etiam Pignatelli in Noviſsimis Conſultationibus, Conſul. 117. â num. *Ex hoc;* & obſerva ibidem

dem diſtinctionem quam laudatus Author adducit inter correctionem fraternam, & emendationem, ſeu inter ſpem emendationis, & emendationem ipſam, maxime comprobatam per longum tempus, ut triennium, in num. *Fateor.* Et licet Gaſpar â Sancto Nicolao dub. 24. num. 163. rotunde affirmet, quod hæc opinio damnata eſt per illa verba Benedictinæ: *Etiamſi longum tempus poſt ipſam ſolicitationem jam efluxerit;* ego, ut verum fatear, non capio quo fulcro hoc aſſerat, attenta Conſtitutione. Summus enim Pontifex, ibi ſolum loquitur de longo tempore; ſed de emmendato per longum tempus, nihil videtur decernere. Quare etſi ego præfatæ ſententiæ non adſtipuler, alius videtur mihi ſenſus Conſtitutionis. Caſus autem ſuppra adductus diſtinctus eſt, ut ex facie ejus conſtat. Et quia vulgare eſt, quod ſingula quæ non proſſunt, ſimul juncta coadjuvant, difficilior videtur. Hinc, ſi datur aliquod decretum, vel Edictum præcipiens talem Confeſſarium denunciandum eſſe, tunc, ſive renuente, ſive annuente fœmina, denunciari debet. Verum attentis præciſſe Decreto Sanctiſsimi Alexandri, & Conſtitutione Sanctiſsimi Benedicti tu cogita, vel alios intertoga, ut dixi ſupra. Vide infra caſum 4.

QUÆSTIO 5.

An Mulier ſolicitata excuſetur â denunciando, quando certo ſcit, Confeſſarium non male ſentire de Sacramento?

1. CONfeſſarium ſolicitantem eſſe ſuſpectum de hæreſi, & male ſentire de Sacramento, Pœnitentiæ conſtat ex illis verbis Pij V. *Nos in animum inducere nequeuntes, quod qui de fide catholica recte ſentiant, Sacramentis, in Eccleſia Dei inſtitutis abutantur, aut illis injuriam faciant.*

2. Unde non ſunt audiendi aliqui, quos ſuppreſſo nomine citat Joannes à Trinit. ſect. 6. dub. 2. num. 2. oretenus aſſerentes, quod ad hanc ſuſpicionem inducendam, requiruntur alia indicia, præter ſolicitationem, qualia eſſet vita depravata, familiaritas cum hæreticis; vel origo ab infecta radice.

dice. Hinc ad præfatum textum reſpondebant, quod dicta verba debent accipi, non ut declarativa ſuſpicionis de hæreſi; ſed ut exagerativa abuſus Sacramenti, & injuriæ illi factæ. Sicut in jure dicitur hæreticus quilibet excommunicatus, cap. quod autem 4. q. 1. nec non Simoniacus, cap. quisquis & cap. Præsbyter. 1. q. 1. & D. Paulus 1. ad Timot. 5. 8. dicit negare fidem, qui ſuorum, & maxime domeſticorum, curam non habet.

3. Non enim placet mihi hic modus interprætandi, cum Summus Pontifex addat in Conſtitutione: *Tam ſuper præmiſſis, quam ſuper fide catholica, & quid de ea ſentiant, diligenter inquiras.* Ex quibus verbis infertur, quod ſi ſolicitantes non eſſent de fide ſuſpecti, Summus Pontifex non præciperet eos examinare de fide.

4. Dubitatur vero communiter, quæ, & qualis ſit hæc ſuſpicio. An ſcilicet, ſit levis, an vehemens, an facti, an juris, an periculi? Et quidem, quod non ſit niſi levis, regulariter loquendo, eſt communis opinio inter noſtros Hiſpanos, ut inſinuavi ſupra diſp. 1. quæſt. 11. num. 16. Verum cum in Conſtitutione dicatur: *In eos pro criminum qualitate, & circumſtantijs, ſuſpentione ab excecutione ordinis, &c.* His verbis videtur colligi, hanc ſuſpicionem, non ſemper eandem eſſe, ſed poſſe ex circumſtantijs minui, aut augeri. Et hæc videtur ratio, cur certa pœna ſolicitantibus non imponitur, quoniam incerta criminis gravitas, licet regulariter ſuſpicio non ſit niſi levis, quæ eſt illa, quæ ex levibus indicijs oritur; ſeu ex quibus, non frequenter, ſed raro, crimen ſuſpicatum concluditur.

5. Ex aſſerentibus ſuſpicionem hanc non eſſe juris, ſed facti, autumarunt aliqui, Confeſſarium ſolicitantem, ideo eſſe in fide ſuſpectum, quia ſolicitando turpiter pœnitentem, prophanat Pœnitentiæ Sacramentum, & ei facit injuriam. Sed contra; quia etiam ſolicitantes ad alia peccata intra Sacramentum, illud prophanant, eique injuriam irrogant, & de fide non ſunt ſuſpecti, juxta communiorem ſententiam. Tum, quia

hæc

hæc ratio non valeret, ſaltem quando ſolicitatio non committitur intra Sacramentum, ſed immediate ante, vel poſt, vel ejus occaſione, aut prætextu, vel cum ipſius ſimulatione quando tam Confeſſarius, quam fœmina ſciunt nullum tunc Sacramentum fieri.

6. Alij dixerunt ideo Confeſſarium ſolicitantem eſſe de fide ſuſpectum, quia Sacramentum Pœnitentiæ lædit in re ſubſtantiali, qualis eſt pœnitentis diſpoſitio, quæ ad ſubſtantiam, vel ſaltem integritatem Sacramenti, neceſſario exigitur. Sed contra; quia ſolicitatio ad furtum, homicidium, vel aliud quodcumque peccatum, eodem modo lædit, vel lædere Sacramentum poteſt, & talem ſuſpicionem non arguit.

7. Alij opinarunt, quod hæc ſuſpicio oritur ex irreverentia ſpeciali, quæ per ſolicitationem, Sacramento fit. Sed contra; quia Sacramentum Euchariſtiæ Sacramentum excellentius eſt Sacramento Pœnitentiæ, & qui cum peccato turpi ſacrilege communicat, non facit ei irreverentiam ſpecialem, ſuſpicionem de fide inferentem.

8. Alij judicarunt, hanc ſuſpicionem derivari ex certa ſpecie cognationis ſpiritualis, quam Pater ſpiritualis cum filia Confeſsionis contrahit. Sed contra; quia nullum vinculum propriæ cognationis ſpiritualis ex Sacramento Pœnitentiæ oritur, ex cap. fin. de cognat. ſpirit. in 6. & ſubinde, peccata turpia inter cognatos ex alio capite, cognatione ſpirituali perpetua, ſuſpicionem de fide non arguunt. Vide Sanchez in ſelect. diſp. 11. â num. 3.

9. Ex his videtur mihi verius, quod docet Conſtantinus Roncaglia tract. 3. de Legib. cap. 3. quæſt. 2. nimirum, quod Conſtitutio Gregorij XV. contra ſolicitantes, fundatur in præſumptione periculi male ſentiendi de fide, non vero in præſumptione facti. Lex enim fundata in præſumptione facti, non obligat in conſcientia ſemper, & quando factum non ſubſiſtit, quamvis contrarium docere Fagnanus videatur, in cap. *ſi quis* num. 69. & 70. de Reg. Ratio eſt, quia mens Legiſlatoris debet eſſe veritatem preferendam eſſe præſumptioni,

cum

cum id expoſcat recta ratio, Can. veritatem diſt. 8. adeoque præſumptionem veritati cedere debere, Leg. Imperatores ff. de probat. Quapropter, inquit citatus Author, praxis etiam fori externi eſt, dare reo locum, ut probet veritatem contra præſumptionem facti, qua probata ceſſat omnino lex in præſumptione fundata.

10. Verum loquendo de lege fundata in præſumptione periculi, contrarium dicendum eſt, etiamſi præſumptio fallat in aliquo caſu particulari. Sic S. Concilium Tridentino irritat Matrimonium clandeſtinum, quia in eo præſumit fraudem: Non quia dari non poſsit Matrimonium clandeſtinum ſine fraude, ſed quia in quolibet Matrimonio clandeſtino eſt periculum fraudis. Et hoc modo, ſalvo altiori judicio, videtur dicendum, quod Conſtitutiones contra ſolicitantes fundantur in præſumptione malæ credentiæ de fide, & de Sacramento; non quia dari non poſsit ſolicitans, qui nec de fide, nec de Sacramento male ſentiat, ſed quia in qualibet ſolicitatione eſt periculum malæ credentiæ. Qua propter, etſi fœmina ſolicitata in aliquo caſu particulari pro certo habeat, Confeſſarium eam ſolicitaſſe ex fragilitate, vel ex paſsione ſenſualitatis, vel ex ardenti propenſione ad libidinem, non vero ex voluntate abutendi Sacramento Pœnitentiæ, neque ex eo quod male de fide ſentiat, non ideo â facienda denunciatione excuſata manet.

11. Nec propterea convenio cum aliquibus, qui putarunt, quod Confeſſarius ſolicitans eſt ſuſpectus de fide per fictionem juris, quæ eſt aſſumptio indubitatæ falſitatis ad aliquem juris effectum producendum. Sic jus fingit eſſe natum, qui adhuc exiſtit in utero, quando agitur de illius commodo: Patrem, & Filium eſſe unam perſonam, cum duæ perſonæ ſint: Canonicum, qui in ſtudijs eſt eſſe preſentem, quando eſt abſens: Religioſum quoad actus civiles eſſe mortuum, cum revera vivat; & alia hujuſmodi: In ſolicitatione, non videtur mihi dicendum, Summum Pontificem fingere Confeſſarium ſolicitantem eſſe ſuſpectum de fide, & male de Sacramento ſentire,

ſed revera hanc ſuſpicionem præſumere ex tam ſacrilega audacia, vel periculum, ut ſic Sacramento abutens, male de Sacramento ſentiat, quamvis revera male non ſentiat.

12. Hinc diſplicet mihi noſter Antonius Seſſa, ſeu de Panormo, qui in Scrutinio Doctrinarum cap. 1. art. 2. num. 12. aſſerit, crimen ſolicitationis ad turpia ex natura ſua, aut ex ſuis intrinſecis cauſare ſuſpicionem de hæreſi; & quod Chriſti Vicarius in Conſtitutione contra ſolicitantes eam non inducit, ſed potius declarat, eo quod Confeſſarij pro medicina venenum, & pro pane aſpidem porrigunt. Ad eum plane modum, quo, cùm Pontifex aliquam propoſitionem damnat ut erroneam, male ſonantem, &c. non reddit eam talem virtute Conſtitutionis, ſed declarando quod talis ea ſit, & fuerit, eſtò virus ejus latèret, nec ab omnibus agnoſceretur.

13. Scio hunc Authorem non eſſe primum, qui ita diſcurrat. Attamen contra hunc opinandi modum facit paritas jam ſemel, & iterum adducta de ſolicitante ad crimina diſtincta â venereis, ut furtum, uſura, ſimonia, &c. Etenim Confeſſarius qui ad iſta ſolicitat, etiam venenum pro medicina, & panem pro aſpide porrigit: Ergo ſi hæc ratio efficax eſſet, & terminans, ſequeretur, quod ſolicitans ad crimina â venereis diſtincta, ſemper, & in omni caſu, committeret crimen cauſans ſuſpicionem de hæreſi ex ſuis intrinſecis atque ideo denunciandum eſſe.

14. Si autem vim hujus inſtantiæ infringere putas concedendo ſequelam, audi Sanctiſsimum Benedictum XIV. in Synodo Diœceſana Edit. Ferrar. ann. 1756. lib. 6. cap. 11. n. 14. Cum olim in quibuſdàm Regionibus, quæ turbulentis, & factioſis hominibus refertæ erant, eveniſſet, ut in ipſa Sacramentali Confeſsione, pœnitentes á Confeſſarijs ſolicitarentur ad tumultuandum, & revelandum adverſus legitimum Dominum, qui hujuſmodi locis, urbibus, aut regnis actu imperabat; non defuerunt Eccleſiaſtici Præſules, tanta impietate commoti, qui cenſerent, & affirmarent, ac etiam propoſitis Edictis decernere vellent, pœnitentes ita ſolicitatos teneri co-

ram

ram legitimo Eccleſiaſtico Judice, Confeſſarios ad prædicta ſolicitantes denunciare. Non ſolum quia hujuſmodi Sacerdotes in fide ſuſpecti habendi erant propter Sacramenti abuſum; verum etiam, quia fundamentum prædictarum Conſtitutionum (intellige Pij IV. & Greg. XV.) quæ ſtatuunt ſolicitatos in Confeſsione ad venerea ſolicitantem denunciare debere, cum ſit irreverentia, & contemptus, quem hic erga Sacramentum oſtendit, æque militat adverſus eos, qui in Confeſſione pœnitentes ſolicitant ad alterius generis crimina, atque etiam ad ſeditiones, atque tumultus. Ille quoque graviter peccat, nec levem contrahit malæ credentiæ ſuſpicionem, qui in Sacramento Confeſsionis, vel ad venerem, vel ad quæque flagitia, ſeu peccata, provocat confitentem, & propterea jure optimo judicio Inquiſitorum ſubjectus eſt. Verba ſunt Penniæ in Commentarijs ad directorium Eymerici part. 2. Com. 81. ad quæſt. 56. Cui pariter ſententiæ ſuffragatur Rodericus â Cunhna in tract. de Confeſ. ſolicit. quæſt. 2. num. 20. & quæſt. 8. num. 9. Sanchez in Select. diſp. 11. num. 23. Trimarcha de Confeſ. abuſu Sacram. Pœnit. diſp. 14. ſect. 3. num. 15. & ſequent.

15. Sed cum Pontificiæ Conſtitutiones ſuperius laudatæ, de Confeſſarijs dumtaxat, qui ſolicitant ad inhoneſta, vel turpia loquantur; cumque hoc delictum frequentius eſſet, & ſæpius in Tribunali Pœnitentiæ committeretur, quam alia alterius generis (atque utinam adhuc identidem admitti non pergeret) ideoque Pontifices huic occurrere voluerint; denique cum agatur de extentione â caſu ad caſum in re pœnali: Hinc factum eſt, ut neque laudari, neque probari meruerit conſilium dictorum Præſulum, qui Conſtitutiones Apoſtolicas ad alia crimina, præter ea, quæ expreſſe in illis enunciantur extendere cogitabant, atque decernere, ut, ſicuti ſolicitatus ad venerea in Confeſsione, Confeſſarium ſolicitantem denunciare tenetur, nec niſi expleta hujuſmodi denunciatione, aut ſaltem data fide de ea adimplenda, peccatorum ſuorum abſolutione donari poteſt; & ſicuti adverſus Confeſſarios ad præ-

miſſa ſolicitantes proceditur cùm teſtium ſingularium depoſitionibus; ita pariter agendum eſſet in caſibus, quibus pœnitentes â Confeſſarijs ſolicitarentur ad crimina diverſi generis, quæ ad carnis concupiſcentiam non referuntur. His rationum fundamentis innititur ſententia priori contraria, cui Doctores communiter ſuffragantur. Conſuli poſſunt Carena, Diana, Bonacina, Homobonus, Boſsius, Sanctarellus, & alij, quos allegat, & ſequitur Bonmem. Cardin. Cozza in ſuis dub. Select. dub. 1. Hæc Sanctiſsimus Benedictus: Et relege dicta ſupra diſp. 2. quæſt. 7.

16. Diſplicent pariter Homobonus de Exam. p. 1. tract. 5. cap. 8. quæſt. 53. Riccius part. 3. deciſ. 278. num. 6. & Joannes Valerus in different. utriuſque Fori Verb. Hæreſis diff. 1. num. 4. quatenus tenent prorſus oppoſiti opinioni relatæ num. 12. & cum multis Doctoribus probant, quod præſumptione ſuſpicionis ceſſante, nulla eſt obligatio denunciandi, eo quod Edictum fundatum in præſumptione non obligat, quando præſumptio fallit, aut ceſſat: Quam ſententiam veram exiſtimat in puncto juris D. Inquiſitor Eſcobar fol. 144. num. 30. ſed illam in praxi reprobat. Probabilem vocat illam Beccanus apud Trullench lib. 1. cap. 3. dub. 18. n. 37. ubi eam refellit. Sed neque hic Author placet quatenus addit in fine, quod ſi manifeſte conſtaret de rei veritate, ſeu de ceſſatione præſumptionis, tute ſequi poteſt ſententia Valeri, & Riccij.

17. Nec placet Joannes â Sanctiſsima Trinitate ſect. 6. dub. 1. á num. 4. quem ſequitur Pintre ſect. 51. num. 220. multis probare ſtudens, quod Confeſſarius ſolicitans non eſt ſuſpectus de fide, niſi in actu ipſo Confeſsionis ſolicitet: Non vero ſi ſolicitat in actu ad Confeſsionem proximo, & immediato. Siquidem Pius IV. qui in Conſtitut. *Cum ſicut nuper*, edita contra ſolicitantes, hanc ſuſpicionem animadvertit, aut inducit, ex dictis ſupra num. 1. hujus quæſt. ſolum mentionem facit in ea de ſolicitantibus in actu Confeſsionis, ut patet ex illis verbis: *In tantam prorruperint iniquitatem, ut Sa-*

cra-

cramento Pœnitentiæ in actu *audiendi Confeſſiones abutantur*. Et paulo poſt: *Mulieres videlicet pœnitentes ad actus inhoneſtos* dum earum audiunt Confeſsiones *alliciendo, & provocando, &c.* Ergo cum in Conſtitutione ſolum fiat mentio (inquit hic Author) de ſolicitatione in actu Confeſsionis, talis ſuſpicio extendenda non eſt ad ſolicitantes extra Confeſsionis actum. Præſertim cum Gregorius XV. in ſua Bulla ampliativa Pianæ nullum verbum dicat, ex quo colligere poſsimus, quod caſus ab ipſo de novo additi ſuſpicionem de fide inducant.

18. Tum, quia Confeſſarius, cui fortaſſe opportunior fuit occaſio ſolicitandi in actu Confeſsionis, & extra ipſius actum ſolicitavit, ipſo facto oſtendit integritatem, & perfectionem Sacramenti maculare nolluiſſe. Tum, quia ſi in rigore loquamur, ſolicitatio extra Confeſsionis actum non eſt injurioſa Sacramento, cum pro tunc neque exiſtat Sacramentum, neque aliqua pars eſſentialis ejus. Tum, & efficacius, ſi ſolicitatio ſolum habet circumſtantiam ſimulationis; nam in hoc caſu nulla intervenit Confeſsio Sacramentalis, neque actu, neque immediate futura, neque immediate peracta. Cum enim in caſu hoc nullum ſit Sacramentum, in quo fundetur abuſus, nulla erit ſuſpicio hæreſis, neque Confeſſarius erit ſuſpectus de ea. Videantur cit. Joann. num. 6. & Pintre num. 222. & quoad hoc ultimum Bordonus cap. 23. num. 80. Carena part. 2. tit. 6. num. 76. Souſa in adnot. num. 17. & in Aphor. lib. 1. cap. 34. num. 68. & Salelles lib. 5. num. 218. qui pariter docent, quod ſi ſolicitatio ſolum peragatur ſimulando Confeſsionem, Confeſſarius non eſt ſuſpectus de fide.

19. Diſplicent itaque in pluribus præfati opinandi calculi; quia ſi probabilitatem plane fundatam haberent, & alias diſerte, & abſolute probabile eſſet, quod lex fundata in præſumptione non obligat, præſumptione ceſſante, magna, ſine majori ex parte deſtruerentur Conſtitutiones Pontificiæ, & Sanctiſsimæ Inquiſitionis Edicta. Quapropter cum Sanctiſsimus Gregorius Conſtitutionem Pianam extendat, & ampliet, præfatoſque caſus, inquibus omnibus negari nequit periculum

ma-

malæ credentiæ, juriſdictioni Dominorum Inquiſitorum ſubjiciat; & alias judicare, an ſolicitans ſit, vel non ſit ſuſpectus de fide non pertineat ad pœnitentes, neque ad Confeſſarios, ſed ad Dominos Inquiſitores, ut cum Freyta, Diana, & Boſſio tradit Giribaldus cap. 19. dub. 1. num. 4. hinc Confeſſarij ſic quomodocumque ſolicitantes Dominis Inquiſitoribus denunciandi ſunt: Et hæc ſane opinio unice conſulenda in praxi pro foro conſcientiæ. Et in praxi Santiſsimæ Inquiſitionis omnes ſic ſolicitantes, etiam ſi ſolicitatio ſolum habeat circumſtantiam ſimulationis abjurare coguntur ut de fide ſuſpecti: De quo videri poſſunt Pignatellus in noviſſ. Conſult. 117. fere in principio. Delbene ſect. 24. á num. 5. Diana p. 4. reſol. 50. tract. 5. Alberchinus in Man. pag. 233. num. 6. Seſſa cap. 7. art. 8. num. 46. & Bordonus in Man. ſect. 25. num. 139. teſtans ita etiam practicari in SS. Inquiſitione Romana, ex teſtimonio Lucæ Wadingi, & Modeſti Gavatij, atque ibi num. 136. revocat quæ prius docuerat tom. 1. cap. 23. num. 80.

QUÆSTIO 6.

An Confeſſarius excuſetur ab onere imponendi obligationem denunciandi Meritrici aſſerenti eſſe ab alio ſolicitatam?

1. RAtio dubitandi eſt, quia fœmina denuncians eſt ſimul denunciatrix, & teſtis; ſed Meretrix, aut alia mulier, quæ infamia notoria laborat, repellitur â teſtificando: Ergo ejus denunciatio cenſenda eſt ut inutilis.

2. Confirmatur: Quotieſcumque denunciatio aliqua unice poteſt tendere ad iſamandum, tunc illicitum, eſt denunciare; ſed denunciatio Meretricis eſt hujuſmodi: Ergo idem quod prius. Maj. prob. ex doctrina ſatis communi, quam docet Leſſius lib. 2. de juſt. cap. 29. dub. 13. num. 111. ſcilicet, quod quando crimen probari non poteſt, videtur peccari contra juſtitiam, ſi reveletur: Exponitur enim reus manifeſto periculo infamiæ, ut dictum manet diſp. 3. Caſu 1. num. 1.

3. Min. multifariam probari poteſt: Nam omnis fœmina eſt mutabilis, doloſa, mendax, levis, & corruptibilis, ut multis probant Tiraquellus, & Maſcardus cum alijs relatis â Delbene part. 2. dub. 237. ſect. 14. n. 5. Ergo cum Meretrix ſit fœmina infamis, habenda eſt ut valde Mendax, valde doloſa, valde levis, mutabilis, & corruptibilis, atque omnimodis indigna teſtimonium ferendi. Hinc Farinacius, Paramus, Sanchez, Acuña, Freytas, Souſa, Riccius, Molfeſius, Peirinis, & Corro, quos citant, & ſequuntur Delbene, citata ſectione 14. Petit. 1. num. 7. & Bordonus in Manuali ſect. 25. n. 203. & tom. 1. cap. 23. â num. 132. docent, quod Meretrix, aut alia Mulier malæ famæ non facit numerum, aut indicium cum fœminis honeſtis, ac per conſequens non debet admitti ad teſtificandum.

4. Et roboratur: Quia quod Meretrix debeat repelli â teſtificando, eſt communiſsimum in jure; cum preter defectum ſexus, patiatur defectum infamiæ, & notæ vilis in Republica. Deinde: Etſi Summi Pontifices concedant delictum ſolicitationis poſſe probari per teſtes ſingulares, concurrentibus alijs indicijs,& præſumptionibus, non tamen concedunt probari poſſe per teſtes patientes plures defectus: Ergo cum Meretrix, & aliæ femellæ infames, ultra defectum ſexus, & ſingularitatis patiantur defectus infamiæ, vilitatis, & infimæ reputationis; & numquam eſſe poſsint teſtes idonei, videtur, quod tam â teſtificando, quam á denunciando repelli debent: Siquidem earum denuntiatio ſolum præſtabit, ut Sacerdotem infament.

5. Urgetur: Quia ut ſatis probabiliter docent Trullench, Fagundez, Homobonus, Navarro, Villalobos, Reginaldus, & Bonacina, quos citant Hebas de Pœnit. cap. 73. & Valentinus â Matre Dei punct. 3. num. 318. qui audivit ſolicitationem â fœminis vilibus, vel modicæ fidei, non tenetur ad denunciandum: Quam ſententiam etiam citatus Valentinus amplectitur contra Dianam, & Thomam â Jeſu; ſed Meretrix non ſolum eſt fœmina vilis, & modicæ fidei, ſed etiam eſt femella viliſsima, turpiſsima, & nullius fidei: Ergo Confeſſarius

rius bene, & juſte procedet, minime monendo eam de obligatione denunciandi Confeſſarium, qui ut ipſa aſſerit, illam ſolicitavit. Hinc Salmanticenſes tract. 21. cap. 4. punct. 5. num. 105. judicant, quod Meretrices, aliquæ hujus furfuris Mulieres â denunciando repellendæ omnino ſunt ex cap. Præsb. quæſt. 5.

6. Hæc rationum momenta, aliquam vim, niſallor, important. Sed quoniam omnes debemus Sanctum Tribunal Inquiſitionis juvare, numquam facilem ſe oſtendat Confeſſarius in excuſando pœnitentem â denunciando, etiamſi pluribus defectibus laboret, qui ipſum juxta communiorem ſententiam à teſtificando repellant: Modo pœnitens ſemel, & iterum admonitus, ut decet, in ſuo aſſerto firmus perſiſtat, nimirum, quod fuerit â Confeſſario ſolicitatus, & alias ſolicitatio indubitanter comprehenſa ſit in Conſtitutionibus Pontificijs. Contingere enim poteſt, quod Confeſſarius qui Meretricem ſolicitavit, forte aliam, vel alias non Meretrices ſolicitaverit, ſicque Meretricis denunciatio præbere poterit novum indicium Dominis Inquiſitoribus, ad indagandum de vita ejus, & de moribus ſuis, & firmius judicare de probatione præcedentium denunciationum. Accedit, quod in Sancto Tribunali admittuntur teſtes, qui in alijs Tribunalibus non admittuntur. Attamen, quia non propterea omnis denuncians redditur teſtis idoneus, & Domini Inquiſitores maximopere veritatem deſiderant, caute procedere debent confeſſarij, dum viliſsimæ femellæ aſſerunt, quod ab alio Confeſſario ſolicitatæ fuerunt. Imo, ſi in omni eventu hujus naturæ cautela neceſſaria eſt, in caſu de quo procedit quæſtio, magna cautela uti oportet.

QUÆSTIO 7.

An perſona ſolicitata excuſetur à denunciando, quando ex denunciatione timet ſibi, vel ſuis damnum grave?

1. HOC dubium, ex Modernis Authoribus, reſolvit Redal §. 7. num. 35. ſequentibus verbis idioma-

mate noſtro: Lo tercero eſcuſa, quando ſe teme grave daño en vida, honra, ô hacienda al denunciante, ô â ſus Conſanguineos, ô Afines dentro del quarto grado, ô â alguna perſona bienhechora del ſolicitado, que ſea muy neceſſaria para ſocorrer ſus neceſsidades graves. La razon de todo es, porque la Ley Ecleſiaſtica, que manda la tal denuncia, no obliga, quando interviene grave incomodo.

2. Bordonus in Manuali ſect. 18. num. 46. quærit: An Frater fratrem, uxor Maritum, affinis affinem, & Amicus amicum non hæreticos, ſed de hæreſi tantum ſuſpectos denunciare debeant? Et reſpondet negative, quoad conjunctos ſanguine, Matrimonio, & affinitate, in eodem domo habitantes; quia talium denunciatio redundat in grave damnum, & dedecus totius familiæ. De alijs extra familiam morantibus, & de amicis aliter ſentit. Et num. 48. excuſat â denunciando ſuſpectum de hæreſi, illum, qui ex denunciatione probabiliter timet damnum grave ſibi eventurum: Et loquendo in ſpecie de delicto ſolicitationis, id ipſum repetit ſect. 25.

3. Taboada §. 10. num. 143. dicit, eſſe opinionem communiorem contra Corro, fœminam ſolicitatam non teneri denunciare Confeſſarium, cum timore prudenti gravis damni, ſibi ex denunciatione eventuri. Imo addit, nec teneri ad denunciandum cum probabili periculo mortis, infamiæ, aut alicujus damni gravis, ſive proprij, ſive Patris, ſive Matris, Mariti, Fratrum, vel aliorum ſtrictiſsime conjunctorum; & citat pro ſuo aſſerto Lupum, Sanctarellum, Peñam, & Fagundez. Et concludit, neque obligatam eſſe ad denunciandum, quando ex denunciatione timet perdere majorem partem bonorum; & allegat pro hac Sententia Tiraquellum.

4. Joannes Sancius in Selectis diſp. 11. num. 55. non ſolum aprobat hunc opinandi modum, ſed judicat, quod fœmina ſolicitata â ſuo maximo Benefactore, vel amico, non tenetur denunciare: Quoniam vinculo gratitudinis conſtricta eſt ad impediendum damnum ei, & ad ipſum bonis afficiendum. Tum, quia fœminam obligare, ut ſui Benefactoris ſit autrix

 mali,

mali, eſt quid inhumanum. Tum, quia fœminam ſe privare beneficijs in futurum ſuſcipiendis, idem eſt, ac in proprijs bonis jacturam ſentire. Et concludit, id ipſum aſſerendo, caſu quo Confeſſarius non ſit Benefactor fœminæ ſolicitatæ, ſed vel Parentum ſuorum, vel Mariti, vel Filiorum, vel Fratrum: Et pro his citat alium Sanchez lib. 4. de Matrim. diſp.4. n.9. ubi refert plures alios pro hac Sententia, quam etiam tuentur Acuña, & Souſa, apud ipſum. Ratio eſt, quia leges humanæ non conſtringunt cum tam gravi nocumento: Præſertim ſi Confeſſarius ob ſolicitationem, non tam ſit ſuſpectus de hæreſi, quam de luxuria, ut docet Suarez de Cenſuris, diſp. 20. ſect 3. n. 9. & Fagundez 2. præcep. lib. 4. cap. 3. num. 31. Idem docet Leander quæſt. 44.

5. Delbene dub. 237. ſect. 12. Petit. 11. â num. 5. oppoſitum tenet, quoad Benefactorem; eo quod, etſi obligatio gratitudinis oriatur ex lege naturali, tamen obligatio denunciandi, oritur á jure poſitivo, ſimulque ex naturali ſuperioris ordinis: Quoniam denunciatio ſolicitantis tendit ad abolendum peccatum præteritum, & futurum, ad terrorem aliorum, & ad conſervandum bonum totius Reipublicæ. Quin imo, ſi titulus graritudinis attendendus eſt, homo magis obſtringitur Deo, quam cuilibet Benefactori, vel amico.

6. Pignatelli tom. 2. Conſultat. noviſsimarum Conſul.143. aſſerit, quod tam in hæreſi, quam in delictis ſuſpectis de hæreſi, tenetur Filius denunciare Patrem, & Pater, & Mater Filium, & uxor virum, & vir uxorem. Quibus omnibus animadverſis, & multis omiſsis, quæ longum nimis eſſet referre.

7. Dico ad quæſt. Quod cum communis ſententia ſit, quod Legislator ſolum obligare præſumitur, quando ratio dictat, eſſe rationabile, quod præceptum ſuum obliget, opinio docens fœminam excuſari â denunciando, quando ex denunciatione timet ſibi damnum grave, vel quod genus ſuum, aut familia ſua ſibi conſanguinitate, vel affinitate conjuncta dedecus patietur, probabilitate non caret: Imo bene fundata eſt; modo timor ejus non ſit vanus. Et alias Confeſſarius â malis

ceſ-

ceſſaverit, & ad bonam frugem converſus fuerit. Opinio dicentium deobligari â denunciando Benefactorem ſuum, quam etiam docuerunt alij, intellecta in tota latitudine, quam ſonat, non mihi placet. Sed non propterea nego caſum poſsibilem, in quo ex circumſtantijs annexis, probabilis fere ab omnibus reputetur: Ubi eſſet, ſi ex ceſſatione beneficiorum, vel fœmina, vel filiæ ejus eſſent turpiter proſtituendæ, & alias Benefactor ei honeſte ſucurrit. Si enim hoc periculum, hujuſmodique timores, non ſunt prorſus vani, relatæ opiniones non ſunt omnino infirmæ.

8. Excipe tamen caſum hæreſis; quia pro fide catholica conſervanda, quilibet debet ponere vitam. Et quoniam hæreſis ſemper ſerpit, ut monet D. Paulus ad Tim. 2. ut verius habeo, quod filius tenetur Patrem hæreticum denunciare, & maxime ſi dogmatizat. Sic videtur colligi ex Deuteronomio cap. 18. ex illis verbis: *Si tibi perſuadere Frater tuus, &c.* Quæ licet ad Apoſtaſiam referantur, hæreſim non excludunt, ut obſervat Liranus ibidem; ℣. *Si tibi voluerit.*

9. Nota autem in fine, quod fœmina ſolicitata, quæ hodie timere poteſt prudenter aliquod damnum, ex denunciatione ſibi, vel ſuis eventurum, forte tranſacto aliquo tempore, tale damnum non timebit. Quapropter, in ſenſu compoſito damni imminentis abſolvi poteſt cum monitione, ut ceſſante periculo damni, obediat Edictis Sanctæ Inquiſitionis: Serio ei præcipiendo, ut interim non confiteatur cum Confeſſario, â quo ſolicitata fuit.

QUÆSTIO 8.

An fœmina ſolicitata deobligetur à denunciando, quando phyſice, aut moraliter impedita eſt ad denunciationem faciendam?

1. RESpondet citatus Redal num. 35. Lo quarto, eſcuſa ſiempre que huviere impedimento phyſico, ô moral, de denunciarle por sì perſonalmente; porque eſta es obligacion perſonal, y el hacerlo de otro modo es gracia.

2. In

2. In hanc ſententiam ex parte inclinatur Delbene, quatenus dub. 237. ſect. 13. Petit. 1. num. 5. ait quod Mulieres etiam egregiæ, & nobiles moneri debent, quod cauſa teſtificationis in ſolicitatione, tenentur DD. Inquiſitores adire; cum hoc nec ſit inhoneſtum, nec nimis durum: Niſi clauſura, infirmitas, vel alia cauſa juſta, ipſas excuſet. Et concludit, quod ceſſantibus prædictis impedimentis, tenentur denunciare. Sanchez in Select. diſp. 11. num. 45. etiam dicit, quod infirmitas, vel clauſura fœminam ſolicitatam excuſant â denunciando.

3. Verum cum ex indulto Urbani VIII. quando Mulier ſolicitata induci nequit ad denunciandum per ſe ipſam, poſſit Inquiſitor Confeſſario concedere, ut recipiat denunciationem per ſcripturam juratam, ut notat Taboada §. 10. n.145. & caſu quo ſit Monialis, ſufficit, quod Confeſſarium mittat, ut ſuo nomine denunciet, juxta Nuño 1. part. num. 247. in arbitrio fœminæ eſt ſatis repoſitum, nullum impedimentum recognoſcere, ut Confeſſarium denunciet.

4. At ſi his non obſtantibus, aliquis caſus ita complicatus eſſet, ratione circumſtantiarum occurrentium, ut Mulier re vera phyſice, aut moraliter impedita ſit ad denunciandum, tunc memoriæ mandanda eſt doctrina Delbene, de eo quod moneatur, ut ceſſante impedimento, denunciet; abſolvique poteſt hac fide data, juxta textum Benedictinæ: *Vel ſaltem ſe, cum primum poterunt, delaturos ſpondeant, ac promittant.*

QUÆSTIO 9.

An fœmina ſolicitata excuſetur â denunciando, quando Confeſſarius eſt tam ruſticus, quod crimen ſolicitationis, & pœnas pro eo taxatas, ignoret?

1. NON procedit quæſtio in caſu ignorantiæ invincibilis: Quia certum omnino eſt, ignorantiam invincibilem, & antecedentem eorum, quæ ſunt fidei, excuſare â culpa hæreſis, & â pœnis latis contra hæreticos, ut poſt alios adver-

vertit Pignatelli tom. 2. noviſsimarum Conſultationum, conſult. 197. advertens quoque ab initio, quod hæc ignorantia excuſat, tam in foro interiori, quam exteriori, tam ab hæreſi, quam â ſuſpicione hæreſis, & ab omni abjuratione.

2. Debet ergo procedere dubium de ignorantia vincibili, conſequenti, & culpabili, & quidem tam de ignorantia juris, quam facti; quando, ſcilicet, vel Confeſſarius ignorat Conſtitutiones Pontificias, & Edicta Sanctæ Inquiſitionis, vel licet tam de Edictis, quam de Conſtitutionibus notitiam habeat, ignorat hunc, vel illum caſum eſſe in illis comprehenſum.

3. Nec procedit quæſtio in foro externo, in quo ignorantia ſaltem juris non præſumitur; unde C. 13. de Reg. jur. in 6. dicitur, quod ignorantia facti, non juris, excuſat: Sed debet procedere pro foro interno, in quo, non præſumptioni, ſed veritati ſtandum eſt. Etſi enim difficile ſit creditu, quod aliquis Confeſſarius tam ruſticus ſit, ut ignoret crimen ſolicitationis puniri â Sancta Inquiſitione; tamen abſolute loquendo, impoſsibile non eſt, quod aliquis hoc ignoret, etſi alias bene ſciat, crimen hoc, jure divino eſſe prohibitum, ut diſſerit Joann. â Trinit. ſect. 8. dub. 3. â num. 1. Neque alias repugnat, quod aliquis Confeſſarius ſciat, Confeſſarium ſolicitantem ſevere puniri â Dominis Inquiſitoribus; & quod ſimul ignoret, hoc factum, vel illud verbum, eſſe ſolicitationem puniendam. Sicut non repugnat, quod aliquis ſciat, percuſsionem Clerici eſſe prohibitam ſub pœna excommunicationis, & quod ignoret detentionem violentam, & injurioſam Clerici, eſſe incluſam ſub lege excommunicante percuſſores.

4. Valentinus â Matre Dei punct. 5. â num. 323. aſſerit, quod quando Confeſſarius ſolicitans laborat ignorantia vincibili, & culpabili, denunciandus eſt; non vero quando ejus ignorantia eſt invincibilis; & pro ignorantia invincibili intelligit etiam actualem inadvertentiam, vel probabile judicium, quod factum, vel dictum ſolicitationem ſapiens, non includatur in Decreto, aut Edictis. Etſi ab ipſo inquiris, quomodo-

nam

nam poterit aliquis ſcire, quod Confeſſarius tali ignorantia laboret? Reſpondet, quod ſolicitatus, aut ſolicitationem ſciens, ſolicitantem denunciare debet, abſque indagatione ignorantiæ, vel advertentiæ ſolicitantis. Quod ergo ipſe aſſerit eſt, quod ſi aliqua via ſcitur tali invincibili ignorantia operatum fuiſſe, tunc ſolicitatum, vel ſcientem ſolicitationem, non manere obligatum ad denunciandum; cum talis ignorans non ſit dignus pœna.

5. Joannes â Trinitate in citato dubio per totum, dubium hoc majori amplitudine reſolvit, & aſſerit, quod pœnitens ſolicitatus, non tenetur denunciare Confeſſarium ſolicitantem, quando iſte tam ruſticus eſt, quod ſolicitavit eum cum ignorantia, ſive juris, ſive facti, ſive invincibili, ſive vincibili: Modo iſta non ſit craſſa, aut ſupina: Quia hæc â pœnis latis non excuſat, ut habetur ex cap. ut animarum de Conſtitut. in 6.

6. Quantum attinet ad ignorantiam juris, probat primo ſuum aſſertum, citans Thomam Sanchez, Azor, Saa, Suarez, Palaum, & Souſam, ex cap. propoſuiſti diſt. 82. ubi deciditur, Clericos incontinentes non eſſe deponendos juxta Conſtitutionem Siricij Pontificis, quia eam ignorabant, ut narrat textus per hæc verba: *His ignorantibus, venia non negabitur.* Et Gloſſa ibi: *Quia Decretum non ligat ignorantes.*

7. Secundo, quia caſu quo delinquat, qui conſcius eſt juris naturalis, & Divini, ignarus tamen juris humani novi, ſolum offendit jus naturale, & Divinum, non vero jus humanum: Ergo ſolum erit obnoxius pœnis juris naturalis, & Divini, non vero pœnis juris humani novi.

8. Tertio, quia ignorans legem Eccleſiaſticam imponentem pœnam ſuſpenſionis, aut irregularitatem, ob aliquod delictum, non incurrit ſuſpenſionem, aut irregularitatem, ſi delinquit cum ignorantia talis legis, ut cum alijs docet Thomas Sanchez de Matrimonio lib. 9. diſp. 32. num. 17. qui n. 43. etiam docet, quod Conjux habens copulam cum conſanguineis alterius conjugis in ſecundo gradu, non impeditur â petitio-

ne

ne debiti, ſi ignorat hunc acceſſum eſſe ſub hac pœna ſpecialiter prohibitum.

9. Quantum vero ad ignorantiam facti attinet, probat primo ſuam concluſionem: Quia, qui actum, quem facit, ignorat eſſe contra legem humanam, nec offendit, nec contemnit illam: Ergo illius pœnis obnoxius non erit.

10. Secundo: Quia ſolicitatio dubia non eſt denuncianda: Ergo potiori ratione non erit denuncianda hæc, aut illa ſolicitatio, quando vel ignoratur, quod revera ſit ſolicitatio, vel quod ſit ſolicitatio, cum circumſtantijs requiſitis ad tranſgreſſionem Conſtitutionum. Siquidem ſolicitatio ignorata, magis quam dubia, deviat â tranſgreſsione legis: Et ignorans, minus quam dubitans, intendit legem violare.

11. Hæc ſunt fundamenra hujus Authoris ad compendium reducta; qui ulterius judicat, Confeſſarium, de quo loquimur, denunciari deberi ſuo Prælato Ordinario: Admodum quo, Confeſſarius ſolicitans ad peccata, quæ non ſunt turpia, ſuo Prælato Ordinario denunciari debet: Non vero Sanctæ Inquiſitioni, cum non ſit reus Conſtitutionum contra ſolicitantes. Lege illum, ſi tibi placet, loco citato, ubi alia plura addit, pro ſua doctrina firmanda.

12. Hæc quidem in caſu ignorantiæ invincibilis, & venialiter vincibilis, non ſunt omnimodis deſtituta â fundamento. Videantur Pignatellus ſup. cit. Bordonus in Man. ſect. 6. num. 22. Giribaldus de Act. hum. cap. 1. dub. 6. Ferraris verb. *Ignorantia*, & alij. Sed ego ſuperſedeo ab hoc dubio autumans cum Taboada §. 10. â num. 167. quod etſi iſta ſubſtineri poſſent quando crimen ſolicitationis ſolum habet circumſtantiam Confeſsionalis, vel dubiæ ſimulationis, aut in aliquo caſu, de quo etiam litterati dubitant, eſſe ſolicitationem formalem, & quoad aliquam legem, ſeu jus novum; tamen valde perpendendum eſt, an ignorantia oblivio, vel inadvertentia, etiam inculpabiles, ſint ſatis ad eximendum â denunciatione, etſi conſtet de eis. Cum enim quilibet teneatur ſcire, & advertere, quæ neceſſaria ſunt ad ſuum munus recte

recte obeundum, ut notant ad intentum Salmanticenſes tract. 10. cap. 1. num. 191. parum proderit ſolicitanti ignorantia ſua, & pœnis impoſitis contra ſolicitantes mulctabitur.

QUÆSTIO 10.

Proponuntur, & reſolvuntur, alia dubia de cauſis excuſantibus, & de obligatione monendi pœnitentem, ut denunciet.

1. DUbitabis 1. An deobligetur â denunciando, qui ſcit ſolicitationem ſub ſecreto naturali? Negant quam plures, etiam ſi ſecretum ſit juramento firmatum, quia obligatio ſecreti naturalis non habet vim, quando in damnum commune vergit. Sed reſpondeo cum diſtinctione: Vel ſolicitatio manifeſtata eſt ſub ſecreto naturali, cauſa petendi conſilium, vel alio fine. Si hoc ſecundum, relatæ opinioni adhæreo. Si primum, tunc judico obligare ſecretum, nam oppoſitum valde diſſonum rationi eſſet; quoniam fideles â petendis conſilijs deterrerentur, quod etiam eſt contra bonum commune, ut advertunt Salmanticenſes punct. 4. §. 2. n. 85.

2. Dubitabis 2. An pœnitens excuſetur â denunciando Confeſſarium ſolicitantem mortuum? Reſp. affirmative, eſtque communis opinio: Quia omnia crimina morte extinguntur, excepta hæreſi. Roncaglia ſup. citat. quæſt. 1. n. 4. hujus diſp.

3. Dubitabis 3. An teneatur denunciare, qui probabiliter judicat non teneri, ductus opinione certo, & practice probabili? Reſp. Gaſpar â Sancto Nicolao dub 19. num. 137. ex D. Inquiſitore Eſcobar, negative; addens, quod Confeſſarius in conſulendo poteſt ſequi opinionem certo probabilem, licet in Sacro Tribunali opinio non admittatur, quin propterea ſit punibilis: Quia qui operatur ſecundum opinionem certo probabilem, prudenter, & abſque temeritate operatur, ac per conſequens licitè, & irrepræhenſibiliter procedit. Ita etiam Bezerra diſp. 3. de peccat. Suſp. quæſt. 7. & Taboada §. 10. num. 175. dicens ex Nuño 3. p. n. 31. quod ut ſecure operetur,

retur, quia plerumque deprehenduntur circa eam indocti Theologi, etſi in alijs materijs moralibus verſatiſsimi.

4. Dubitabis 4. An Confeſſarius fœminam ſolicitatam non monens de obligatione denunciandi, peccet mortaliter? Reſp. affirmative. Quia Summus Pontifex palam loquitur dicens: *Mandantes omnibus Confeſſarijs, ut ſuos pœnitentes, quos noverint fuiſſe ab alijs ſolicitatos, moneant de obligatione denunciandi.* Quare pœnitens ſolicitatus non eſt abſolvendus, niſi denunciet intra ſex dies: Niſi in aliquo ſpeciali eventu, & cum ſuficienti cauſione, ut dicitur in Benedictina: *Vel ſaltem ſe, cum primum poterunt, delatnros ſpondeant, ac promittant.*

5. Dubitabis 5. An Confeſſarius omittens monere pœnitentem, ut ſolicitantem denunciet, maneat excommunicatus: Videtur dubitare Taboada §. 11. num. 72. de jure, quo talis cenſura ſit lata. Verum, etſi hæc cenſura ex Conſtitutionibus non conſtet, tamen Valentinus â Matre Dei num. 316. Corella in Pract. tract, 6. num. 156. & Gaſpar á Sancto Nicolao dub. 24. num. 273. aſſerunt, talem Confeſſarium ipſo facto excommunicationem majorem incurrere. Sed hoc debet intelligi, quando ſolicitatio indubitanter eſt in Conſtitutionibus compræhenſa: Et nihilominus, cum Confeſſarius juridice non ſciat, quæ â Pœnitente audit, non caret probabilitate, quod excommunicationem non incurrit. Vide Thom. Hurtado cap. 8. reſol. 64. §. 2. num. 898.

6. Dubitabis 6. Quis poſsit abſolvere Confeſſarium ſolicitantem? Reſpondeo, quod ſolicitatio de jure communi non eſt reſervata: Sicque ſi reſervata non eſt in aliqua Diœceſi, vel Religione, quilibet Sacerdos approbatus poteſt Confeſſarium ſolicitantem abſolvere, quia peccatum ſolicitationis non eſt hæreſis, ſed inducens ſuſpicionem de hæreſi. In noſtra Religione includitur inter reſervata. Attendatur pro his ad Edicta SS. Inquiſitionis.

QUÆSTIO II.

Proponuntur, & reſolvuntur aliqua dubia de comparatione ſpontanea.

1. QUæres 1. An Sanctum Tribunal benigne recipiat ſponte comparentes? Reſp. Bord. quod licet Sacrum Tribunal fidei erectum pro fide Catholica, perpetuo illibata conſervanda, ſit tremendum, & timendum, non ideo caret benignitate, clementia, & miſericordia: Ac proinde non ſolum benigne, ſed etiam impune, ſponte comparentes recipit.

2. Quæres 2. Quid ſit ſponte comparere? Reſpond. illum dici ſponte comparentem, cujus delictum, etſi denunciatum ſit, non eſt ſemiplene probatum: Vel illum, qui legitimis indicijs non eſt in Sancto Officio preventus. Non differunt iſtæ explicationes niſi ſecundum magis, & minus clarum: Nam per legitima indicia, inducitur ſemiplena probatio.

3. Quæres 3. Unde habeat originem hæc gratia conceſſa ſponte comparentibus? Reſp. quod â Concilio Bitterenſi cap. 2. per hæc verba: *Ac deinde mandetis, ut omnes, qui ſe, vel alios ſciverint in crimine labis hæreticæ deliquiſſe compareant coram vobis, veritatem dicturi. Aſſignato eis termino competenti, quod tempus gratiæ vocare ſoletis, quibus tamen alias hujuſmodi gratia non eſt facta, infra quem terminum venientes, pœnitentes, & dicentes plenam de ſe, ac de alijs veritatem, habeant impunitatem mortis, immutationis, exillij, & confiſcationis bonorum.*

4. Quæres 4. An gaudeat hac gratia, qui comparet quando legitimis indicijs eſt præventus, ſeu crimen ejus eſt ſemiplene probatum? Idem Bordonus ſect. 58. in Man. ubi ſatis fuſe tractat de hac materia, reſpondet negativæ; quia qui tunc comparet, cenſetur comparere cum ſcientia de eo, quod denunciatus ſit: Unde non eſt ſponte comparens. Idem forte contingeret, ſi ex tono, & modo comparendi dignoſceretur, quod comparitio non tendit ad ſalutem procurandam, ſed metu pœnarum imminentium.

5. Quæ-

5. Quæres 5. An ſponte comparens diminute procedens gaudeat hac gratia? Reſp. negativæ; quia textus dicit: *Et dicentes plenam de ſe, ac de alijs veritatem.* Unde fluit, quod etiam debet manifeſtare complices.

6. Quæres 6. An præventus in Sancto Officio de aliquo crimine, ſi comparet, & manifeſtat etiam alia, de quibus non eſt præventus, cenſeatur ſponte comparens quoad iſta? Reſp. affirmative; quia cauſa limitata limitatum producit effectum: Quare ſemiplena probatio de uno crimine, non ſe extendit ad alia.

7. Quæres 7. Quomodonam recipiatur ſponte comparens? Bordonus num. 23. dicit, quod recipitur in foro judiciali ſecreto, & quod ejus Confeſsio non recipitur in ſcriptis per Notarium: Et quod abſolvitur ab Inquiſitore ab excommunicatione incurſa propter hæreſim, & imponitur ei pœnitentia ſalutaris. Bezerra de peccatis ſuſpectis de hæreſi quæſt. 8. dicit, quod denunciatio ſpontanea recipitur in ſcriptis, & quod â Dominis Inquiſitoribus didicit, ita practicari in Hiſpania. Et loquendo in ſpecie de Confeſſario ſolicitante tam ipſe in citata quæſt. quam Gaſpar â Sancto Nicolao dub. 44. num. 293. addunt, quod ſi ſemel ſolicitavit, nec recluditur, nec abjurat, ſed graviter reprehenditur.

8. Quæres 8. An ſemel gratiatus, ſi iterum ſponte compareat, admittendus ſit ad beneficium remiſsionis? Reſp. Bordonus negative; quia textus dicit: *Quibus tamen alias hujuſmodi gratia non eſt facta.*

9. Quæres 9. An Confeſſarius ſolicitans gaudeat hac gratia, quando ſponte comparet, & manifeſtat plures fœminas ſolicitaſſe? Gaſpar â Sancto Nicolao num. 293. dicit, quod mitius punitur. Ego autumo, quod hæc reſolutio pendet á praxi Sancti Tribunalis: Quare oportunum eſſet in tali caſu, Virum verſatum in praxi conſulere. Vide citatum Bezerram de peccatis ſuſpectis de hæreſi quæſt. 8. per totam.

10. Quæres 10. An impeditus ad comparendum, coram Dominis Inquiſitoribus, debeat haberi ut ſponte comparens, ſi

comparet coram aliquo Officiali Sanctæ Inquiſitionis? Bordonus num. 30. reſpondet affirmative, ex Salelles: Quia Officiales Sancti Officij, gerunt vices Sanctæ Inquiſitionis.

11. Quæres 11. An poſsit quis etiam ſponte comparere per Amicum, vel Internuncium? Affirmative reſpondet citatus Bordonus num. 31. addens ex Salelles num. 32. ita practicari.

12. Quæres ultimo. An etiam poſsit aliquis comparere per Epiſtolam miſſam ad unum ex Dominis Inquiſitoribus? Reſp. affirmative Taboada §. 12. num. 183. dicens, quod ſic debet credi de hoc clementiſsimo Tribunali. Vide apud ipſum normam ſcribendi Epiſtolam, quæ etiam ex hic notatis, facile depræhendi poteſt.

QUÆSTIO ULTIMA.

De captura, & de pœnis impoſitis ſolicitantibus.

1. QUæres 1. Quot fœminarum requiratur teſtimonium ad Confeſſarium incarcerandum? Reſpondeo breviter juxta veriorem ſententiam, quod hoc relictum eſt arbitrio Dominorum Inquiſitorum: Qui ſua ſolita prudentia, & dexteritate recte conſiderant, quod fœmina eſt levis, corruptibilis, & mendax, & quod facile peierat, modo dicens unum, modo dicens aliud: Quare comparatur Lunæ, quæ continuo mutatur. Subinde informantur ſecreto de fide denunciatricis, & de moribus denunciati, ita ut diſcretiſsime in omnibus procedant: Quare non opus eſt, ut in his tempus teramus.

2. Quæres 2. Quibus pœnis mulctentur Confeſſarij ſolicitantes? Reſp. quod ſuſpenduntur ab executione ordinis, privantur â Beneficijs, & â Dignitatibus, nec non ab Officijs, redduntur que inhabiles ad illa: Privantur etiam vocis activæ, & paſsivæ, imponitur eis exilium, damnarique poſſunt ad triremes, & carceres in perpetuum, ut videri poteſt in proœmio hujus Opuſculi, vel in littera ipſa Conſtitutionum. Nihilo-

lominus, cum Summus Pontifex addat: *Aliasque pœnas decernant.* Reſolutio hujus dubij, magna ex parte pendet ab arbitrio Dominorum Inquiſitorum.

3. Quæres 3. Quis poſsit diſpenſare in his pœnis? Reſp. quod præſcindendo à privilegijs, quæ à Supremo Legislatore poſſunt habere Domini Inquiſitores, nemo diſpenſare poteſt, niſi Summus Pontifex, ut dicitur in illis verbis: *Abſque ulla ſpe gratiæ.*

4. Quæres 4 Quid dicendum de pœna degradationis, quæ ſignificatur per illa verba: *Debita præcedente degradatione, Curiæ Seculari puniendos tradant?* Reſp. quod Eſcobar part. 3. quæſt. 5. §. 4. & Bordonus in Manuali ſect. 25. num. 235. tradunt aliquas regulas, per quas judices fidei pœnam mortis ſolicitantibus arbitrari poſſunt.

5. Verum à tempore, quo hæc pœna impoſita eſt in Gregoriana contra ſolicitantes, nullum exemplum reperire datum eſt, quo Confeſſarius ſolicitans cum circumſtantijs, etiam quantumcumque aggravantibus, degradatus ſit, & foro ſeculari traditus fuerit, ut obſervat Cardinalis Albitius, tract. de Inconſtantia in fide, part. 1. cap. 15. num. 13. relatus â Sanctiſsimo Benedicto XIV. in ſua Synodo Diœceſana lib. 9. cap. 6. num. 7. ubi addit Sanctitas ſua, quod hæc Conſtitutio ad terrorem præcipue incutiendum, facta fuiſſe videtur.

PROPONUNTUR, ET RESOLVUNTUR *aliqui caſus pertinentes ad hanc diſputationem.*

CASUS 1.

Gregoria aliquatenus ruſtica dixit in Confeſſione Taddæo, quod cum confiteretur cum Bernardo, iſte ſolicitavit eam. Taddæus cognoſcit Bernardum eſſe Virum valde honeſtum, honoratum, & timentem Deum; & licet poſtea interroget aliquos de ejus vita, & modo vivendi, omnes ſunt pariter ſuæ opinionis. Poteſt excuſari ob hæc fundamenta ab imponendo Gregoriæ præceptum denunciandi?

1. Reſp.

1. RESP. negative, ſi non occurrunt fortiora motiva. Quoniam teſtes deponentes pro Reo, quod ſit homo boni nominis, bonæ famæ, & timoratæ conſcientiæ, parum proſunt illi, ut docet Bordonus in Manuali ſect. 78. n. 46. Cum enim probatio hæc ſit generalis, nihil, vel parum operatur contra delictum ſpeciale. Probatio enim generalis, ſpeciali cedit, ex Innocenc. in cap. Auditis de præſcrip. Si enim hæc res ita ſe habet in foro externo, etiam debet valere pro interno; quia eadem ratio militat.

2. Attamen, quia Gregoria eſt ruſtica, & Bernardus valde juſtus, caute debet procedere Taddæus ne forte fœmina in equivocationem, vel ſimplicitatem ſit lapſa, & unum factum, vel verbum pro alio referat. Quare expediens erit, eam ſemel, & iterum examinare, juxta dicta diſp. 1. quæſt. 9.

CASUS 2.

Damaſus Religioſus ſtricti Inſtituti certo ſcit Euſebium eſſe ſuſpectum de hæreſi. Petit licentiam à ſuo Prælato exeundi ê Monaſterio, ut poſſit Euſebium denunciare coram Dominis Inquiſitoribus (vel Commiſſario Sancti Officij, quia Sacrum Tribunal diſtat per plures leucas) Prælatus autem ſemel, & iterum ei licentiam negat. Manet ideo excuſatus à denunciando?

1. RESP. 1. Quod hic caſus poteſt alicui apparere chimericus: Nam nullus Prælatus ſanæ mentis hanc licentiam negabit Damaſo, ſed potius eum juvabit, ut cum ſecreto, & dexteritate denunciet Euſebium: Niſi forte ſit nimis ruſticus, & tam inflatus, ne dicam neſcius, ut â pede uſque ad caput conveniant illi illa verba Davidis: *Homo cum in honore eſſet, non intellexit.*

2. Reſp. 2. Quod ſi aliquis Prælatus talem licentiam negaret Damaſo, incurreret in excommunicationem reſervatam Summo Pontifici, ut decrevit Paulus V. in Conſtitut. *Romanus Pontifex*, ann. 1606.

3. Reſp. 3. Damaſum non manere propterea excuſatum

â

â denunciando Euſebium: Ob quem finem exire poteſt ê Monaſterio ſine licentia Prælati. Videatur citata Conſtitutio, nec non alia Alexandri VII. ſupra quæſt. 2. hujus diſp. relata.

4. Dices: Damaſus in tali caſu timet gravari poſtea â ſuo Prælato. Immo timet, quod ſi recurrit ad Dominos Inquiſitores, pro redimenda ſua vexatione, Prælatus exponet Dominationibus ſuis aliqua falſa contra illum: Ergo non eſt obligatus ad denunciandum cum tanto incommodo.

5. Reſp. 1. Quod ſi omnibus rite perpenſis, timor Damaſi non eſt vanus, ſed cadens in Virum conſtantem, tunc periculo non ceſſante, excuſatus manet: Lex enim poſitiva non obligat cum tanto incommodo: Et jus naturale facultatem concedit unicuique famam, & bona ſua conſervandi.

6. Reſp. 2. Statutum eſſe â Pio V. die 17. Auguſti 1567. quod Regulares, qui pro quocumque negotio recurrerint, ſeu confugerint ad Sanctum Officium Inquiſitionis, ad perhibendum in eo teſtimonium ſeu ad deponendum in eo de aliquo, moleſtari non poſsint â ſuis Superioribus, per quinquennium continuum â die depoſitionis, ſeu recurſus: Et Prælati contrarium facientes, pœnis debitis mulctabuntur.

7. Reſp. 3. quod Damaſum terrere non debet falſa accuſatio, quam timet; ſed debet pro certo præſumere, quod Domini Inquiſitores majorem fidem ei præſtabunt in caſu, quam Prælato, & cuilibet alteri.

CASUS 3.

Torquatus exponendus pro Confeſſionibus audiendis, quærit, quid reſpondere debeat, caſu quo Examinatores eum interrogent: An ſit damnata opinio liberans emendatum?

1. PRO reſp. adinveniet Torquatus, quod Authores aſſerentes, finem denuntiationis eſſe emendam delinquentis ſatis communiter emendato favent, vel ſaltem indicant, opinionem ei faventem, non carere probabilitate. Hunc opi-

opinandi modum, adhuc poſt Decretum Sanctiſsimi Alexandri VII. reperiet, præter alios, apud Pignatelli in Noviſsimis, Conſult. 117. pag. mihi 372. col. 2. in fin. & apud citatum Euphratem pag. 187. Hanc opinionem probabilem quoque fatetur Giribaldus de ſolicitat. num. 44. nec omnino diſſentiunt Ligorius num. 686. & Ferraris num. 48. qui poſt Conſtitutionem Benedictinam ſcripſerunt.

2. Defendentes, quod finis denuntiationis eſt delinquentis punitio, ejusque publica correctio, ut periculum perverſionis aliorum evitetur, emendatum damnant: Et hic modus reſolvendi, ut communior, & verior habetur ab omnibus fere modernis. At, quia præceptum affirmativum, quale eſt præceptum denunciandi, exceptiones patitur, alij diſtingunt inter delictum publicum, & prorſus occultum; ita ut Caſtro Palaus, quem ſequitur Joannes â Trinitate ſect. 7. dub. 6. num. 4. velit quod etſi extet Edictum præcipiens denunciare emendatum, intelligendum ſit de delicto, quod laborat infamia, aut periculo publicationis. Et quod Edictum Sanctiſsimæ Inquiſitionis poſsit cum aliqua exceptione intelligi, probat citatus Author dub. 5. num. 16. ex eo, quod licet in Edicto præcipiatur, ut denuncientur omnes criminoſi, quorum in ipſo fit expræſsio, ſive ſint vivi, ſive mortui, tamen ſoli hæretici defuncti denunciari debent, non vero defuncti ſuſpecti de hæreſi, quales ſunt ſolicitantes. Omnes enim ſuſpiciones de hæreſi, morte delinquentis extinguuntur, ut docet communis DD. opinio, & colligitur ex cap. accuſatus §. ſi vero de hæreticis, in 6.

3. Alij proinde recognoſcentes, quod ſi emendatio eſſet ſufficiens fundamentum ad excuſandum à denunciando. Edicta paſsim illuderentur, firmiter ſubſtinent, quod cognitio emendati altius judicium, quam privati exigit. Ex quo videtur, quod hæc difficultas ſolum poteſt habere locum quando fœmina ſolicitata, ſive bona, ſive mala fide, omiſsit denunciationem per plures annos, quæ intra paucos dies exequi debebat; atque hoc longo tempore elapſo, conſtat de emendatione Confeſſarij vera, certa, & comprobata, per vitam honeſtam, quam amplexatus eſt intra illud.

4. In quo ſenſu, quia ad intelligendum, an aliqua propoſitio ſit damnata, ad terminos ejus attendere debemus, ut docet Antonius Seſſa, alias, á Panormo, in Scrutinio Doctrin. cap. 1. artic. 7. notare convenit, quod aliud eſt correctio fraterna, & aliud emendatio. Nam aliud eſt ſpes emendationis, vel emendatio præſumpta, & aliud emendatio certa, & vera, conſtans, & comprobata. Ratio eſt perſpicua; quia poſt correctionem factam, & ſæpius iteratam, poteſt nulla eſſe emendatio. Ergo ſi aliud eſt emendatio, & aliud correctio facta, potiori jure erit aliud emendatio, & aliud correctio facienda. Similiter, aliud eſt longum tempus, & aliud emendatio comprobata per longum tempus. Eſtque ratio; quia proculdubio tranſire poteſt longum tempus, quin delinquens emendetur, nec per modicum tempus. Ergo aliud eſt longum tempus ſecundum ſe inſpectum, & aliud emendatio certa, vera, & comprobata per longum tempus.

5. Præter Gaſparem â Sancto Nicolao, cujus memini ſupra quæſt. 4. in fine, inveniet etiam Torquatus Bezerram de hæreſi, quæſt. 9. §. 2. num. 251. reſolventem, quod opinio liberans emendatum per longum tempus, damnata eſt in illis verbis Benedictinæ: *Etiamſi longum tempus poſt ipſam ſolicitationem jam effluxerit.* Sed cum Summus Pontifex in dictis nullam mentionem de emendato faciat, judico quod merito poteſt de hoc aſſerto dubitari, ſtando præciſſæ verbis Conſtitutionis. Sed ne forte cupiendo veritatem dicere, in errorem, vel in ignorantiam incidam, hoc, judicio Superiorum judicium reſolvendum relinquo. Quid autem ego cenſerim, manet dictum quæſt. 4. hujus diſp. in fine.

6. Conſultius mihi videntur loqui PP. Salmanticenſes in Apend. cap. 6. punct. 4. num. 212. quatenus perfunctorie dicunt, quod attentis verbis, vel longus tempus poſt ipſam ſolicitationem jam effluxerit, corrigenda eſt ſententia illorum, quos refert Poteſtas tom. 2. part. 3. quæſt. 5. num. 611. Nota autem quod hic Author loco citato refert opinionem admitentem præſcriptionem quinquennalem ex C. de Apoſt. Et

opinio-

opinionem dicentium, quod poſt triennium creditur, vel præſumitur emendatio delicti. Non vero loquitur relata hæc opinio in caſu emendationis veræ, certæ, & comprobatæ per vitam honeſtam perſeverantem, & continuatam per longum tempus. Quare non procedit in terminis noſtri dubij: Neque omittendum eſt, quod Poteſtas non recte tibi citat Bordonum, & ſilentio præterit interpretationem Edicti Sanctæ Inquiſitionis Parmenſis, quam Bordonus affert, ut dixi ſupra quæſt. 1. hujus diſput.

7. Ex dictis examinari poteſt ſententia aliquorum, qui aſſerunt, quod obligatio denunciandi ſuſpectos de hæreſi, ſola morte delinquentis extinguitur; qui modus opinandi ſic generaliter prolatus, mihi, nec pluribus arridet. Bene enim cohæret, quod crimen in Conſtitutione comprehenſum ſit, & quod reus denunciari debeat, attenta comprehenſione criminis in Conſtitutione, & quod alias crimen ſcientes excuſati ſint â denunciando, ex alijs principijs, & capitibus: Dequo, præter alios innumeros legi poteſt Taboada §. 7. num. 102. & fuſius §. 10. â num. 138. Sed non ideo præſumas, me opinionem de qua in præſenti agnoſcere ut practice probabilem, niſi aliæ plures circumſtantiæ probabilitatem ejus augeant, accedente renuentia perſonæ ſolicitatæ, & maximè ſi pertinaciter renuat denunciare. Vide Doctorem Joannem de Hebas in 3. prop. damnat. â Sanctiſsimo Innocentio XI. præſertim in num. 4. Recolantur dicta quæſtione quarta hujus diſput. num. 16.

CASUS 4.

Sergius Theologiæ Moralis ſtudioſus, inſtanter quærit, an quando aliquod verbum, vel factum Confeſſarij exiſtimatur ſolicitationem ſapere, ſufficiat ad denuntiationem Mulieri præcipiendam, vel ad eam ab onere denunciandi excuſandam, quod duo, vel tres Viri ab ipſo habiti ut litterati, innixi aliquibus rationibus, ſibi dicant, quod tale Verbum, vel factum comprehenſum eſt, vel non eſt in Conſtitutionibus? Quæro: Quid Sergio reſponderi debet?

1. Ple-

1. PLena reſolutio hujus dubij ex pluribus capitibus dependet: Ex quibus, quia aliqua ſpa ſim in hoc Opuſculo tractantur, ideo pro nunc reſponſum præbeant Sergio duo ſequentes caſus, quorum primus, etſi omnino recens non ſit, antiquus tamen non eſt. Cum quidam Confeſſarius humana fragilitate ductus ſemel, & iterum habuiſſet rem cum quadam fœmina, alias honorata, & nobili, exijt rumor inter aliquos illius Populi, qui Confeſſarium fœminam viſitare obſervaverant, quod ille turpiter cum iſta tractabat. Quapropter, cum ambo præ viribus intenderent curam habere de ſuo bono nomine, & famæ ſuæ providere, conſilium adinvicem fecerunt, ut id die proxima ſolemni concurſus, accederet ipſa ad ejus Confeſsionale, Sacramento non ſimulando, ob finem loquendi cum eo honeſte, vel de aliqua materia ſpirituali, ita ut videntes intelligerent cum illo confiteri, ut inde motivum ſumerent ad judicandum, quod eorum amicitia turpis non fuerat; & in effectu, hoc pacto executo, neque Confeſſarius, neque fœmina, aliquid turpe, nec directe, nec indirecte in Confeſsionario tractarunt, ſed ſolum per aliquod breve ſpatium temporis, honeſte confabularunt, ut ab ipſiſmet adſtipulatum fuerat.

2. Sed heu quanta eſt ignorantia! Cum poſtea confiteretur Mulier cum alio Sacerdote ejuſdem Populi, hic intellexit, quod primus Confeſſarius denunciandus erat ut Reus Benedictinæ, eo quod Confeſsionem cum ſua complice ſimulaverat. Receſsit fœmina nolens jam pro tunc confiteri; & cum paulo poſt alium Confeſſarium rogaſſet, ut ejus Confeſsionem exciperet, eique caſum integre, atque cum incidentijs narraſſet, hic ſecundus pariter judicavit, Confeſſarium complicem denunciandum eſſe, eo quod cum complice ſua Sacramentum ſimulaverat. Hæc fuit horum Confeſſariorum reſolutio; etſi teſtimonio fœminæ credendum eſt, non erit ocioſitas advertere, quod ambo exiſtimati erant ut docti in illa Republica, licet alias nullo magiſterio inſigniti eſſent, cum nec cathedrulam aliquo tempore alicubi legiſſent, aut obtinuiſſent. Verum

quia ad me non attinet authoritatem alicujus deprimere, aut magnificare, ſat dicere ſit, quod eorum dictamen plenum erat abſurdis, quorum examen prudentiæ tuæ relinquo, cum etſi in rei veritate, Confeſſarius Confeſsionem complicis excepiſſet, per hoc præciſſe denunciandus non eſſet, juxta dicenda infra diſp. 5. Cæterum cum ex contingentia, vel providentia, tranſiſſet per locum illum, Sacerdos quidam melius in his materijs verſatus, & fœmina confiteretur cum illo, ipſam ut oportebat edocuit. Videat Sergius in hoc caſu, quid ex parte ei reſponderi poterit; & videant ſimul Prælati, qui pro Subditis rationem reddituri ſunt, an deceat, vel obligatorium reputent, de aliquorum ſufficentia magis eſſe ſoliciti. Nolo tamen omittere, quod licet caſus non ſit in Conſtitutione comprehenſus, hic Confeſſarius imprudenter, immo imprudentiſsime ſe geſsit.

3. Secundus caſus, ſive practicus, ſive forte mere ſpeculativus, adducitur â Joanne â Sanctiſsima Trinit. ſect. 4. dub. 3. â num. 4. per hæc identica verba. Caſus (jam ab aliquibus me preſente agitatus) ſit: Quando Confeſſarius, & fœmina, ut carnaliter coeant, paciſcuntur, quod fœmina ſe febricitantem fingens, vocet ad propriam domum Confeſſarium, titulo, & cauſa Confeſsionis faciendæ, atque ſub illo titulo, & colore, ſolus Confeſſarius ingrediatur in cubiculum fœminæ, tunc in lecto jacentis, ibique ſimulantes apud domeſticos Confeſsionem Sacramentalem, exequantur carnalem copulam. Quæſitum enim, & agitatum fuit: An iſte actus carnalis ſub ſimulatione Sacramentalis Confeſsionis executus in cubiculo, & lecto fœminæ ſit caſus comprehenſus in Conſtitutione, & illius pœnis ſubjaceat talis Confeſſarius.

4. Circa hunc caſum nonnulli aſſerebant, nequaquam comprehendi ſub verbis Conſtitutionis; ac per conſequens nec Confeſſarium ſic turpiſsime agentem eſſe pœnis obnoxium. Suam aſſertionem probabant ſequentibus fundamentis. Primo, quia venereus ille actus, etſi executus ſub ſimulatione Confeſsionis Sacramentalis, non tamen fuit habitus in Confeſsionario, ſed extra, in loco omnino profano. Nam Confeſsionarium,

rium, juxta mentem Conſtitutionis, dicitur ille locus in Eccleſia deputatus, & electus ad audiendas Confeſsiones Sacramentales. Ergo ob defectum iſtius conditionis neceſſario requiſitæ ad tranſgreſsionem Conſtitutionis, non delinquit in eam prædictus Confeſſarius.

5. Secundo, quia in caſu propoſito non eligitur fœminæ cubiculum ad Confeſsionem Sacramentalem ibi audiendam, ſed ad venereum actum exequendum, ut ſupponitur. Ergo quamvis Confeſſarius tunc ſimulet audire Confeſsionem, non tamen exequitur actum venereum in loco ad Confeſsionem audiendam electo.

6. Tertio, quia licet cubiculum domus profanæ aliquando eligatur ad Confeſsionem Sacramentalem audiendam, nihilominus tamen non dicitur locus ad effectum tranſgrediendi Conſtitutionem. Nam ſub abſoluta Conſtitutionis locutione non venit intelligendus ille locus, qui extraordinarie, & privatim ad libitum eligitur, ſed qui ex inſtituto eſt electus, & deputatus, qualis cenſetur quilibet Eccleſiæ, & Templi locus. Ergo nomine loci ad Confeſsionem audiendam electi (ſtante in terminis Conſtitutionis, & in propria eorum ſignificatione) non venit intelligendum fœminæ cubiculum: Ac per conſequens non agit Confeſſarius contra hanc Conſtitutionis partem.

7. Vim iſtius tertiæ probationis aperiebant, & confirmabant duabus ſimilibus locutionibus, una Juris Cannonici, altera Concilij Tridendini. Nam in cap. Eccleſijs diſt. 68. & alibi ſtatuitur, ob ſanguinis effuſionem, ſeu voluntariam ſeminis effuſionem, pollui loca Deo dicata, ubi Miſſæ celebrantur. Et quamvis hoc decretum abſolute loquatur de hujuſmodi locis: Nihilominus non polluuntur Oratoria privata, ubi Miſſæ celebrantur authoritate Epiſcopi, ut docent Silveſter verb. Loca, num. 5. Thom. Sanchez de Matrim. lib. 9. diſp. 15. n. 39. Reginaldus lib. 14. cap. 6. & alij. Similiter Concilium Tridentinum Seſſ. 24. de Matrim. cap. 2. decernit contrahi cognationem ſpiritualem in Baptiſmo, inter Patrinum ex una

par-

parte, & baptizatum, & ejus Parentes ex altera. Et nihilominus ſub iſta abſoluta Concilij locutione non comprehendi Baptiſmum collatum privatim, & extraordinarie, extra Eccleſiam, aſſerunt idem Thomas Sanchez lib. 7. diſp. 62. num. 14. Emmanuel Rodriguez tom. 1. Sum. cap. 226. num. 1. Vega tom. 1. Sum. cap. 33. caſu ultimo. Gallego de Cognat. Spirit. cap. 11. num. 5. & alij. Igitur cum hæc ita ſint, abſque ulla formidine poteſt dici, quod nomine Confeſsionarij, ſeu loci, ad Confeſsionem audiendam electi, non venit intelligendus ille locus, qui privatim, & extraordinarie ad libitum extra Eccleſiam eligitur, ſed ſolus ille, qui in Eccleſia ex inſtituto eſt ad hoc miniſterium electus, deſignatus, & deputatus.

8. Objiciebatur contra hanc doctrinam ex ea ſequi magnum inconveniens, ſcilicet, quod ſolicitatio, & confabulatio inhoneſta habita in actu Sacramentalis Confeſsionis, non comprehenditur in Conſtitutione, quando Sacramentalis Confeſsio fit extra Eccleſiam in domibus privatis, quod nullatenus eſt admittendum. Sed ad hanc objectionem reſpondebant negando ſequellam. Nam ſicut verſatur maximum diſcrimen inter Confeſsionem Sacramentalem, & Confeſsionem ſimulatam, quæ revera non eſt Confeſsio, ſed ſolum ſimulatio, ſeu exterior apparientia Confeſsionis, ita de eis diverſimode loquitur Conſtitutio. De Confeſsione enim Sacramentali loquitur ſine ulla reſtrictione, & abſque ullo ordine ad locum ubi facienda eſt. At de Confeſsione ſimulata, ſeu de Confeſsionis ſimulatione loquitur cum reſtrictione, & ordine ad locum, ubi ſimulatio eſt habenda. Quare, ſolicitatio, & confabulatio inhoneſta habita in Sacramentali Confeſsione, comprehenditur proculdubio in Conſtitutione, ſive hujuſmodi Confeſsio ſiat in Eccleſia, ſive extra Eccleſiam in domibus privatis, & profanis. At, ſolicitatio, & confabulatio habita in Confeſsione ſimulata, ſeu ſimulatione Confeſsionis, non cenſetur comprehenſa niſi talis ſimulatio fiat in Confeſsionario, aut in loco ad Confeſsiones Sacramentales audiendas in Eccleſia deſignato, electo, ſeu deputato.

9. Ad-

9. Adhuc contra iſtum dicendi modum objiciebatur, prædictum Confeſſarium in eo caſu turpiter agere prætextu Confeſsionis, quod ſufficit, ut dicatur, & ſit traſgreſſor Conſtitutionis. Ad hanc objectionem duobus modis reſpondebant. Primo, quod dato concederetur, prædictum Confeſſarium turpiter egiſſe prætextu Confeſsionis, non tamen turpiter egit in Confeſsionario, neque in loco ex inſtituto ad Confeſsionem audiendam electo, quæ conditio ad caſus propoſiti comprehenſionem requiritur. Secundo, negabant prædictum Confeſſarium deliquiſſe prætextu Confeſsionis, in ſenſu quo Conſtitutio loquitur in immediata clauſula antecedenti de occaſione, & prætextu Confeſsionis. Quia tunc prætextu Confeſsionis delinquit Confeſſarius quando ſecundum exteriores demonſtrationes videtur ſuadere recta intentione uſum Confeſsionis Sacramentalis, interius tamen movetur prava, & turpi intentione, atque animo ſolicitandi ad inhoneſta fœminam, cui uſum Confeſsionis, ſuadet, ipſa fœmina ignorante hanc interiorem Confeſſarij intentionem. Prætextus enim eſt illud velamentum, quo moveri aliquis videtur ad aliquid agendum, cum tamen alia cauſa moveatur. Reſolutive igitur aſſerebant non comprehendi in Conſtitutione propoſitum caſum de Confeſſario, & fœmina paciſcentibus carnalem copulam in proprio cubiculo habendam, immo, & executam ſub Confeſsionis ſimulatione, & fallacia fictæ ægritudinis.

10. Hic modus dicendi (proſequitur citatus Author) prima facie apparet probabilis; ſed tutior, probabilior, ac verior mihi videtur oppoſitus. Quare cenſeo aſſerendum, & tenendum, quod propoſitus caſus eſt ſub diſpoſitione Conſtitutionis comprehenſus, ac per conſequens debet judicari tamquam tranſgreſſor Conſtitutionis Confeſſarius ſic turpiter delinquens. Fundamentum hujus noſtræ ſententiæ eſt, quia in caſu propoſito ultra ſimulationem Confeſsionis Sacramentalis, inſimul concurrit altera conditio requiſita, nempe circumſtantia loci ubi Sacramentales Confeſsiones, ſcilicet ægrotantium, ſolent excipi, ſeu audiri. Id non obſcure indicat, vel potius exprimit

mit illa Conſtitutionis particula: Aut in loco quocumque ubi Confeſsiones Sacramentales audiuntur. Nomen enim relativum *quocumque* additum ſubſtantivo *loco*, omnem, & quemlibet locum, ſive ſacrum, ſive profanum comprehendit, nam eſt terminus univerſalis, ſeu indefinitus æquivalens univerſali: Et inde eſt, quod in preſenti venit intelligendus omnis, & quilibet locus ubi Confeſsiones Sacramentales ex uſu, & conſuetudine audiuntur, nullo loco ex his, excepto. Cum igitur cubiculum domus profanæ ſit locus ubi Confeſsiones Sacramentales, ſive verè, ſive fictè ægrotantium ex uſu, & conſuetudine audiuntur; ſatis aperte concluditur, quod in propoſito caſu utraque conditio requiſita ſimul concurrit, & reperitur: Ac per conſequens erit caſus in Conſtitutione comprehenſus, & Confeſſarius ſic turpiter agens cenſendus eſt tranſgreſſor Conſtitutionis. Hucuſque citat. Author.

11. Sed dices: Confeſſarius in tali caſu non peccaret ſimulando Confeſsionem cum pœnitente, ſed cum impœnitente; ſiquidem ex ſuppoſitione turpis conventionis cum fœmina, talis fœmina impœnitens eſt: Ergo non eſt reus Conſtitutionum contra ſolicitantes. Reſp. quod hoc argumentum potius indiget abſolutione, quam ſolutione: Sufficit enim quod fœmina exiſtimetur ut pœnitens. Si autem aliquid probaret, probaret etiam, quod nec Confeſſarius ſic turpiter conveniens cum fœmina ſimulando Confeſsionem in Confeſsionario deputato ad excipiendas Confeſsiones in Eccleſia, eſſet reus Conſtitutionum.

CASUS 5.

Maurus quærit, quid reſpondere debet in his caſibus. Primo: An excuſandus, vel denunciandus ſit Confeſſarius, qui extra locum, & occaſionem Confeſſionis, peccat cum fœmina ſibi confiteri volente? Secundo: Quid ſi fœmina ſolet viſitare Confeſſarium aſſociata, & Confeſſarius dicit ei in Confeſſione, ut viſitet eum ſola, & ſine ſodalibus? Tertio: Quid ſi fœmina ſolicitata ſcit Confeſſarium ſponte comparuiſſe in Sancto Officio? Quarto: Quid quando Confeſſarius punitus

tus eſt, & abjuravit, quia ab alijs fuit denunciandus? Demum, quid ſi Confeſſarius de ſolicitatione minime eſt diffamatus?

1. AD 1. reſpondet Pignatelli in Compendio part. 2. de Sancto Officio Inquiſitionis pag. mihi 82. his verbis: Non proceditur in Sancto Officio contra Confeſſarium, qui extra locum, & occaſionem Confeſsionis, dicit Mulieri ſibi confiteri volenti, ut adeat domum ſuam, & adeuntem carnaliter cognoſcit: Hujuſmodi enim caſus non eſt comprehenſus contra ſolicitantes.

2. Ad 2. reſpondet idem Author: Solicitationis ſpecies eſt, quando Mulieri, quæ alijs fœminis aſſociata ſolet adire Confeſſarij domum dicit Confeſſarius in Confeſsione, ut ſola ſuam domum adeat, & poſtquam adiverit, copula carnalis ſequitur.

3. Dices contra hoc: Confeſſarius in hoc caſu peccaret cum fœmina occaſione Confeſsionis remota; atqui occaſio de qua loquuntur Conſtitutiones debet eſſe proxima, ut poſt alios notat ipſe Pignatelli in Noviſsimis Conſultationibus, conſ. 117. num. *hæc autem:* Ergo excuſari poteſt talis Confeſſarius. Reſpond. quod talis ſolicitatio non debet cenſeri facta occaſione Confeſsionis, ſed in ipſa Confeſsione, quia â verbis, quæ fœminæ dixit Confeſſarius in Confeſsione, incipit. Nihilominus, ſi Mulier non adivit ejus domum, niſi poſt tranſactos plures dies, & Confeſſarius hoc intermedio, nec per ſe, nec per Internuncium aliquid ei dixit: Vel ſi dum fœmina Confeſſarium viſitavit, experta eſt, Confeſſarium habuiſſe negotium tractandum cum illa, ab omni turpitudine alienum, tunc etſi in decurſu converſationis Confeſſarius eam ſolicitet, maxime, ſi ipſa occaſionem præbet, non adeo certum apparet, hanc ſolicitationem eſſe comprehenſam in Conſtitutionibus, ut ad ſimilem caſum dictum manet diſp. 2. caſu 6. num. 5. Vide etiam pro illo, & iſto caſu noſtrum Poteſt. tom. 2. part. 3. cap. 6. quæſt. 3. num. 506. Ex cujus doctrina dicendum eſt etiam quod ſi rationabiliter dignoſcitur, Confeſſarium artificioſe diſ-

poſuiſſe tractatum antecedentem, ad paliandam ſolicitationem, tunc talis Confeſſarius denunciandus eſt.

4. Ad 3. Reſpondet citatus Pignatelli per hæc verba: Pœnitentes ſolicitatæ, quamvis credant Confeſſarium, â quo fuerunt ſolicitatæ comparuiſſe in Sancto Officio, non tamen excuſantur, ſed tenentur denunciare.

5. Ad 4. Diana part. 1. tract. 4. de denunciat. reſol. 26. docuit cum multis fœminam ſolicitatam non teneri ad denunciandum Confeſſarium, qui ex aliarum delatione confeſſus, & punitus fuit. Nam iſte Confeſſarius rationabiliter præſumitur emendatus. Freytas in addit. quæſt. 3. num. 54. tenet contra Souſam, hunc Confeſſarium denunciandum non eſſe, etiamſi abſolutus fuerit, aut non plene convictus, & hoc ob eandem rationem, nimirum, quia præſumitur emendatus: Quam ſententiam tenent etiam Sancius, & Peirinus apud Dianam coord. tom. 5. tract. 9. reſol. 31. & reſol. 89. & Delbene ſect. 13. petit. 7. Bonacina in tract. variar. diſp. 6. punct. 3. num. 15. nec non citati Diana, & Delbene contrarium docent: Quia Promotor Fiſcalis Sancti Officij habet jus acquiſitum, inquit Delbene, ad procedendum contra talem Confeſſarium, ut adveniente nova probatione, de novo repetatur cauſa, cum ſententia non tranſierit in rem judicatam. Tum, quia graviores pœnæ, inquit Diana, cum Bonacina, debent imponi pro pluribus delictis. Omnes tamen citati conveniunt in hoc, quod ſi Confeſſarius Confeſſus, & punitus fuit de ſolicitatione, quam fœmina non denunciavit, tunc fœminam non teneri ad denunciandum. Tum, quia Confeſſarius delictum illud jam abjuravit. Tum, quia judicium non ſolet excerceri bis in id ipſum. Accedit illud Nahum 1. *Non conſurget duplex tribulatio.* Quæ verba Septuaginta ſic legunt: *Non vindicabit Dominus bis id ipſum in tribulatione.*

6. Ad ultimum Fagundez, & Megalius olim cenſuerunt non eſſe denunciandum Sacerdotem ſolicitantem, de crimine ſolicitationis non diffamatum, propter illa verba Conſtitutionis: *De præmiſſis quomodolibet diffamatos.* Verum Fagundez in nova edi-

editione judicium ſuum praxi Sancti Tribunalis ſubjecit; & Megalius etiam in nova editione, ſententiam mutavit, ut notant Delbene ſect. 13. à num. 4. & Diana coordinat. reſol. 32. qui cum communi, & certa ſententia docent, quod dicta verba non ſunt intelligenda de rigoroſa infamia, ut innuit adverbium *quomodolibet*: ſicque ut Confeſſarius debeat denunciari, ſufficit qualiſcumque infamia, ſeu quod fama ejus lacerata ſit apud ſolam perſonam ſolicitatam. Alias, cum hoc crimen ſecretiſsime committatur, tota vis Conſtitutionis illuderetur.

CASUS 6.

Chriſoſtomus interrogatus fuit in Synodo, an peccent mortaliter illi, qui aſſiſtunt ſententiæ pronunciatæ intra antra Sanctæ Inquiſitionis contra Confeſſarium ſolicitantem, ſi poſtea manifeſtant Reum, crimen, vel Religionem, cujus delinquens eſt Filius: Cum autem Chriſoſtomus reperiſſet Authores loqui de hoc dubio, cum aliqua varietate, quærit, quid reſpondere debeat?

1. RESp. 1. Quod ſi aſsiſtentes manifeſtant Reum, crimen, &c. Fœminis, & hominibus vilibus, tunc ut probabilius judico, quod peccant mortaliter, immo aſſertive hoc pronuncio; quia charitas læditur in re gravi, & talis manifeſtatio non erit ſine maximo ſcandalo.

2. Reſp. 2. Quod ſi talis manifeſtatio fit alijs perſonis melioris notæ, maxime alijs Confeſſarijs, ut timore pœnarum pertimeſcant, tunc contrarium ſentio: Niſi forte Domini Inquiſitores impoſuiſſent ſilentium aſsiſtentibus ſub pœna excommunicationis.

DISPUTATIO V.

De varijs, quæ ad pleniorem intelligentiam Conſtitutionis Benedictinæ pertinent.

QUÆSTIO I.

De quo peccato turpi bebeat intelligi hæc Benedictina Conſtitutio?

1. CUM certum omnino ſit in vi hujus Conſtitutionis, nullum Sacerdotem poſſe abſolvere ſuum complicem in peccato turpi, atque inhoneſto, contra ſextum Decalogi præceptum commiſſo, ortum eſt dubium inter Doctores, de quo peccato turpi debeat hæc Conſtitutio intelligi? Et quantumvis imbecillitatem meam plane fatear, ad conſtituendum numerum inter tot Sapientiſsimos Viros, qui de hac materia ſcripſerunt, tamen ut Opuſculum hoc nimis diminutum non ſit, aliqua dubia hic proponenda, & reſolvenda autumavi, meo ſolito ſtylo plano, & brevi, non immemor ſententiæ Joann. 22. in Extrav. 1. de Verb. ſign. ſcilicet, quod brevitas in ſcribendo, recomendabilis eſt. Quare.

2. Suppono 1. Quod per præfatam Conſtitutionem non aufertur Confeſſario juriſdictio ad abſolvendum â peccatis venialibus complicitatis, contra ſextum Decalogi præceptum commiſsis. Quoniam, etſi Summus Pontifex peccata venialia reſervare poſsit, tamen nullam uſque modo hujuſmodi reſervationem cognoſcimus, ut dictum manet diſp. 1. quæſt. 11. n. 5. Ratio eſt: Quia cum peccatum veniale ſit materia libera Confeſsionis, inutilis omnino foret talis reſervatio.

3. Suppono 2. Neque per hanc Conſtitutionem reſervari aliquod peccatum turpe mere internum, etſi grave. Licet enim peccata mere interna reſervari poſsint, ut docent Vaſquez, Cardinalis de Lugo, & Suarez, relati â Sanctiſsimo Benedicto XIV. in Synodo Diœceſana lib. 5. c. 5. n. 5. tamen nec

Epiſ-

Epiſcopi, nec Summi Pontifices, actus mere internos ſuis reſervationibus complecti unquam conſueverunt, ut notat loco citato idem Maximus Legiſlator, & Doctor Supræmus.

4. Suppono 3. Nec ablatam eſſe juriſdictionem Confeſſarij in vi dictæ Conſtitutionis, ad abſolvendum ſuum complicem â peccato turpi gravi, & externo, â quo jam antea idem complex abſolutus fuit ab illo Confeſſario. Ratio eſt, quia Conſtitutio debet intelligi in ſenſu compoſito complicitatis, non vero in ſenſu diviſo: Seu debet intelligi de complicitate, non de tranſacta: Quoniam complex jam abſolutus ab alio Confeſſario, proprie loquendo non eſt complex, ſed fuit complex. Accedit, quod peccata jam abſoluta, etſi graviſsima, etiam ſunt materia libera Confeſsionis.

5. Difficultas autem, quæ ingenia Doctorum diriſsime torſit in hac materia, eſt: An Summus Pontifex in dicta Conſtitutione comprehendat ſolum peccatum conſummatum an etiam quodlibet peccatum turpe exterius manifeſtatum, etſi non conſummatum, comprehendere voluerit? Verum, maxime notandum eſt hic, quod neque in aſsignando quid ſit peccatum conſummatum hujus complicitatis, conveniunt Authores. Aliqui intelligunt, quod peccatum turpe complicitatis conſummatur per copulam, & hic eſt communis modus loquendi. Attamen noſter Gonzalez Matthæo tract. 23. de Pœnit. §. 19. n. 253. aſſerit, quod ut peccatum ſit conſummatum, ſufficit, quod detur pollutio: Quoniam, ille actus dicitur conſummatus, qui intra eandem ſpeciem ultra non eſt ordinabilis; & cum pollutio in genere moris ultra ordinabilis non ſit, intra ſpeciem luxuriæ, hinc non ut actus incompletus, ſed ut completus, & conſummatus reputari debet.

6. Aſſerentes quod Summus Pontifex in dicta Conſtitutione comprehendit omne peccatum turpe, ſive conſummatum, ſive non conſummatum, fundantur maxime in hoc, quod Conſtitutio indefinite loquatur de peccato turpi; atqui propoſitio indefinita equivalet univerſali: Ergo de quocumque peccato turpi atque inhoneſto, contra ſextum Decalogi præceptum intelli-

telligi debet. Hæc meo videri eſt roboſtior ratio, in qua fundatur hæc ſententia, ut videri poteſt apud Bezerram, Gaſparem â Sancto Nicolao, Redal, Hidalgo, Salmanticenſes, Sans, & Murcia, in expoſitione hujus diplomatis: Apud quos etiam alia fundamenta non contemnenda; reperies.

7. Verum, cum verba Conſtitutionis, etſi indefinita ſint, non contineant aliquam particulam, vel dictionem, ſeu ſignum expræſsivum omnium peccatorum, quæ in genere turpitudinis committi poſſunt, videtur hinc, quod ſententia affirmans Summum Pontificem noluiſſe in ea comprehendere peccata turpia, undequaque incompleta, uti ſunt oſcula, amplexus, & alia hujuſmodi, dum pollutio non ſequitur, probabilitate non caret. Brevius, & clarius: Summus Pontifex non aufert à Confeſſario juriſdictionem ad abſolvendum complicem in *omni peccato turpi:* „ Sed ſolum prohibet, ne aliquis Confeſſarius extra caſum extremæ neceſsitatis, nimirum in ipſius mortis „ articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui „ Confeſſarij munus obire poſsit, Confeſsionem Sacramentalem perſonæ complicis *in peccato turpi*, atque inhoneſto contra ſextum Decalogi præceptum commiſſo, excipere audeat, „ &c. Ergo cum odia reſtringi, & favores conveniat ampliari, nec ſit minus notum, quod in pœnis benignior interpretatio facienda ſit, videtur quod ſententia affirmans, poſſe Confeſſarium abſolvere complicem in peccato turpi undequaque incompleto, probabilitate non caret.

8. Confirmatur: Summus Pontifex in Præfata Conſtitutione procedit primo confirmando, declarando, & ampliando Conſtitutionem Gregorianam contra Confeſſarios ſolicitantes; & declarat hos denunciandos eſſe in aliquibus caſibus, de quibus, poſt dictam Gregorianam Conſtitutionem, controverſia erat inter Authores, an denunciandi, vel non denunciandi eſſent, qui in hujuſmodi crimen prolapſi dignoſcebantur. Deinde novum jus inſtituit in diverſa materia, diſtincta â ſolicitatione, juriſdictionem â Confeſſario auferens, ut abſolvere poſsit ſuum complicem in peccato turpi, ut eruitur ex ipſo textu. Nunc ſic:

ſic: Atqui Summus Pontifex, qua parte hæc Conſtitutio materiam ſolicitationis concernit actus incompletos exprimit, per illa verba, *ſive verbis, ſive ſignis, ſive nutibus, ſive tactu, &c.* Qua parte vero novum jus inſtituit, dumtaxat dixit, *in peccato turpi, atque inhoneſto,* & actus incompletos non exprimit: Ergo ipſamet non expreſsio horum actuum, videtur excluſsio eorum.

9. Dices: Ipſe Sanctiſsimus Benedictus in Bulla conceſsionis Jubilei anni Sancti 1750. dicit: *Neque etiam ulli Confeſſario facultatem abſolvendi complicem inquolibet inhoneſto, contra ſextum præceptum peccato; aut complici, Confeſſarium hujuſmodi ad effectum præſentium eligendi licentiam impertiri, ut jam in alijs noſtris litteris, incip. Sacramentum Pœnitentiæ ::: generaliter declaratum fuit.* Ergo in Conſtitutione Sacramentum Pœnitentiæ, etiam actus incompleti comprehenduntur, cum hæc videatur eſſe ipſius Legislatoris voluntas, per illa verba manifeſtata: *In quolibet inhoneſto, &c.*

10. Reſp. 1. quod ſicut per prædicta verba, *in quolibet inhoneſto,* nemo concedet, quod Pontifex aufert â Confeſſario juriſdictionem abſolvendi complicem in peccato turpi veniali, immo nec aufert juriſdictionem abſolvendi eum â mortali, â quo jam prius fuit pœnitens complex, ab alio Confeſſario abſolutus, ita ſimiliter dicere poſſumus, quod non interdicit ei, ut complicem abſolvat â peccato turpi incompleto complicitatis.

11. Reſp. 2. quod præfata verba, *in quolibet inhoneſto,* ex ſe, indefinita ſunt; ſicque univerſali expreſsioni equivalere non debent, maxime in odioſis. Non enim dicit Pontifex: In quolibet inhoneſto, ſive completo, ſive incompleto. Quare interpretari poſſunt de quolibet inhoneſto conſummato, & completo, ſive per copulam, ſive per pollutionem.

12. Reſp. 3. quod Pontifex per prædicta verba, ſuam mentem non declarat, quoad peccata incompleta, ſed ſolum quoad illa peccata turpia complicitatis, quæ comprehenſa ſunt in Conſtitutione *Sacramentum Pœnitentiæ,* ut videtur colligi ex

illis

illis verbis: *Sicut in alijs noſtris litteris generaliter declaratum eſt.* Qua propter, cum hæc verba ſint reſpectiva ad primam Conſtitutionem, hanc in ſuo ſtatu relinquunt, & fundamenta, quibus nititur ſententia aſſerens, actus incompletos in ea non includi, in ſuo robore manent. Vide citatum Matthæo, qui plura ad hanc opinionem firmandum addit, & fere nullum eſt argumentum, quod in contrarium fieri poſsit, quod fundatè, & dexterè non ſolvat.

13. Opinioni hujus Authoris, plane, & libenter ſubſcribo, maxime in his Indiarum Ditionibus, ubi plures Populi, Univerſitates, ut dicunt, & Hæreditates, vulgo *Haziendas,* reperiuntur, in quibus unus ſolus Sacerdos eſt, quin per viginti, triginta, quadraginta, immo, & quinquaginta leucas, & amplias, alius Miniſter inveniatur. Erit ne mirum, vel tale tibi apparebit, quod attenta humana fragilitate, aliquis ex præfatis Sacerdotibus, aliquem oſculum, vel amplexum aliquem turpem, vel aliud quid ſimile, cum aliqua fœmina habeat? Et nonne duriſsimum erit in tali caſu, ne dicam frequentiſsimis eventibus, compellere fœminam, non ſolum pauperem, ſed probabilius, vel certo pauperrimam, ut tot leucas percurrat, & quod majoribus ſe periculis exponat, pro abſolutione obtinenda? Taceo ſcandala, quæ inde oriri poſſunt, & alios timores, qui cernuntur ad occulos; & ſolum addo, quod de ſumma pietate Supræmi Legislatoris Eccleſiæ, perſuaſum mihi habeo, nolluiſſe hos, vel ſimiles caſus comprehendere, etiam quoad peccata mere incompleta.

14. Dices: Ergo in caſibus, de quibus loquimur, etiam poterit Confeſſarius, extra articulum mortis, abſolvere complicem â peccato turpi conſummato. Reſp. neg. conſeq. niſi forte in aliquo caſu particulari, de quo in quæſtione ſequenti, & ſub cautelis ibi aſsignandis. Ratio eſt, quia peccatum turpe conſummatum complicitatis, indubitanter comprehenditur in Conſtitutione. Peccatum vero turpe incompletum, non eſt ſic comprehenſum, ut viſum eſt: Quare etſi non laudarem Confeſſarium complicem in peccato turpi incompleto abſolven-

tem,

tem, quando ab alio Confeſſario commode abſolvi poteſt, non audeo reprobare opinionem aſſerentem ablatam à ſe non eſſe, in vi Benedictinæ Conſtitutionis, juriſdictionem, ut eum abſolvat, præſertim in expoſitis eventibus.

15. Inſtabis: Contra prædictam ſententiam facit Authoritas Gloſæ, in L. quod ait Lex. V. in ipſis rebus ff. ad Leg. Jul. de Adult. ubi dicitur: *Sunt enim res Veneris antecedentia ipſum ſcelus colloquia .... Baſia, tactus; nam ab ipſis argumentum ſceleris inducitur, ut in Topycis Marcij Tulij. Unde Verſus: Viſus, & alloquium, tactus, poſt oſcula, factum.* Atqui per *Res Veneris* intelliguntur res turpes: Ergo nomine peccati turpis, atque inhoneſti, non ſolum intelligi debent peccata turpia conſummata, ſed omnia peccata turpia, ſive completa, ſive incompleta

16. Reſpondeo inſtando argumentum; ſed turpiloquium, & colloquia laſciva mortaliter peccaminoſa ſunt etiam quid *veneris*, adeoque ſunt *turpia:* Ergo Pontifex in dicta Conſtitutione etiam voluit comprehendere colloquia laſciva, & turpiloquium mortaliter peccaminoſum? Contrariam ſententiam reperies apud D. Amort, & Caſſuiſtas Sanctiſsimi Benedicti infra num. 22. hujus Quæſt.

17. Itaque ſicut turpe dividitur in turpe in Locutione, & in opere, ſic turpe in opere dividitur in turpe completum, & incompletum: Ergo ſicut Pontifex non comprehendit in ſua Conſtitutione turpe in locutione, ſeu turpiloquium graviter peccaminoſum, alias hoc expreſiſſet in illa, utifacit loquendo contra Solicitantes in illis verbis: *Aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, vel tractatus, temerario auſu habuerint;* ſimiliter videtur dicendum, quod in Conſtitutione, actus turpes in opere incompletos noluit comprehendere, cum illos in illa non expreſſerit. Accedit quod verba accipienda ſunt ſecundum propriam, & uſitatam ſignificationem, ſi alias non conſtat contrarium de mente Legiſlatoris: Qui vero audit Petrum commiſiſſe peccatum turpe cum Antonia, ſtatim intelli-

telligit fornicationem, vel aliquem actum inordinatum importantem pollutionem.

18. Inſiſtes adhuc: Pontifex dicit in Conſtitutione: *In peccato turpi*, atque inhoneſto, contra ſextum Decalogi præceptum commiſſo, ſed poſito genere ponuntur ſpecies ex L. cum aurum §. 9. ff. de auro, & argent. legat. Ergo Pontifex omne peccatum turpe comprehendit. Tum, quia verborum ſenſus non ex ſuperficie vocum, neque ex folijs ſermonum, ſed ex medulla mentis, & ex radice rationis, accipiendus eſt, ex C. Marcion 63. 1. quæſt. 1. Sed pœnitentiæ, Sacramentum æque fœdari poteſt per peccatum turpe incompletum, ut ſunt oſcula libidinoſa, & libidinoſæ tactiones, de quibus pœnitens complex confitetur, ac per peccatum completum: Ergo Pontifex utrumque comprehendit. Tum, quia ſic declaravit S. C. T. Congregatio die 30. Auguſti 1749. nec non S. Pœnitentiaria die 7. Februarij 1755. Ergo.

19. Reſp. ad 1. Prædictam locutionem Pontificiam non videri prorſus genericam ex dictis ſupra â num. 16. Item, quia Sanctiſsimus Legiſlator non tantum dicit, *in peccato turpi, atque inhoneſto*, quod ſuficeret ut generica eſſet, ſed addit: *Contra ſextum Decalogi præceptum commiſſum*; per quæ verba, vel ſunt in Conſtitutione ſuperflua, vel Pontifex pluſquam peccatum turpe, præciſſe ut turpe, reſervat. Immo, etſi Pontifex talia verba non adderet, non eſſet abſolute verum, quod per *turpitudinem* intelligatur omne factum, vel verbum quomodocumque oppoſitum caſtitati, & colligitur ex Apoſtolo ad Rom. 1. ℣. 27. ubi dicit: *Maſculi in maſculos turpitudinem operantes.* Quæ verba de turpitudine conſummata per pollutionem (unus alterum polluendo) intelligunt Lyra, & de la Haye in hunc locum. Videtur ergo, quod attento præciſſe textu Conſtitutionis, neque prædicta reſervatio eſt prorſus generica, neque quod omne peccatum turpe, quomodocumque turpe, comprehenditur in illa, ſed ſolum turpitudo ſaltem per pollutionem conſummata.

20. Ad

20. Ad 2. reſp. hoc opus hic eſſe Laborem, mentem ſcilicet Sanctiſsimi Benedicti fuiſſe omnem turpitudinem, etiam incompletam, generaliter, & pro omni loco, voluiſſe in ſua Conſtitutione comprehendere, preſertim, cum in poſteriori Bulla prioris declarativa, emanata die 8. Feb. 1745. hoc non declaraverit; & propoſitum intra mentem retentum nihil operatur, L. ſi repetendis ff. de Condit. Præterea, cum in Synodo Diœceſana lib. 7. cap. 14. de præſenti materia iterum ſermonem inſtituat, pariter nihil declarat. Immo dum circa finem cit. cap. dicit, in caſu infamiæ poſſe Sacerdotem ſuæ impudicitiæ complicem in articulo mortis abſolvere, ſententiæ noſtræ favere videtur. Etenim ex D. Thoma exponente illa verba Apoſtoli ad Epheſ. 5. *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis* per immunditiam, non quicumque tactus turpis intelligendus eſt, ſi abſit pollutio. Sic enim prædicta verba exponit Angelicus Doctor: *Omnis immunditia.* Id eſt, pollutio.

21. Ad 3. reſp. quod præfatis Declarationibus Sac. Congregat. omnino ſtandum erit, ſemper quod apud nos authentice de illis conſtet, & per modum legis intimentur, & promulgentur: Quod quidem hactenus non evênit; quin obſtet, quod apud aliquos Authores referantur. Vide infra Appendic. 2. num. 6. & ratio non contemnenda adduci pariter poteſt ex Decreto Sanctiſsimi Benedicti XIV. die 19. Martij 1758. directo ad Archiepiſcopum Goanum, incip. *Cum venerabilis*, in quo declarando quædam dubia ſuper validitate Matrimonij Clandeſtini, quantum ad illos, qui tranſeunt per locum, in quo Decretum Tridentini de reform. Matrim. non eſt rite publicatum, utitur quibuſdam litteris Urbani VIII. datis Romæ 14. Auguſti 1727. incip. *Exponi nobis*, & de illis ſic loquitur: *Inter alia uſi ſumus authoritate quarumdam litterarum felic. record. Prædeceſſoris noſtri Urbani Papæ VIII. quæ cum à privatis Scriptoribus relatæ dumtaxat legantur, ſed neque communibus Bullarijs hactenus inſertæ, nec alia ſolemni ratione publicatæ reperiantur, Nos earumdem tenorem, cum authenticis hujus Apoſtolicæ Sedis Regeſtis collatum ſubjicimus, &c.*

22. Nota hic ex P. Euſebio Amort tract. 13. §. 24 quæſt. 5. num. 6. fol. 475. quod nomine *turpitudinis* non intelligitur turpiloquium, ſeu colloquia laſciva; quia Apoſtolus in cap. 5. ad Epheſios diſtinguit turpitudinem à ſtultiloquio, ſeu à verbis laſcivis, & ad malum provocantibus, ut ibi exponit Div. Thomas: Ergo cenſendum eſt, quod Pontifex in ſuis Conſtitutionibus etiam illa diſtinguere voluit. Oppoſitum tamquam certum tenet P. Ligorius lib. 6. tr.4. cap. 2. dub. 2. num. 554. addens ſic ſentire plures Viros doctos ab eo conſultos. Verum Ligorium impugnant Caſuiſtæ de mandato Sanctiſsimi Benedicti ad an. 1758. menſe Januarij caſu 3. pag. 143. & P. Amort ſequuti fuſe, & per plura probant, quod in Bullis prædictis non comprehenditur turpiloquium mortaliter peccaminoſum: Hocque tam ipſi, quam relatus Amort tenent ut probabilius.

23. In additione 9. primæ additionis notavi, quod etiam nunc repeto, me nimirum opinioni benignæ, quantum ad præſentem materiam, adhæſiſſe, inherendo S. Can. ap. ult. de tranſact. ubi dicitur: *In his vero in quibus jus non invenitur expreſſum, procedes æquitate ſervata, ſemper in humaniorem partem declinando, ſecundum quod perſonas, & cauſas, loca, & tempora, videris poſtulare*. Ibi pariter notavi cum Illuſt. P. D. Marin, & Doct. Garſi, quod ſæpe inconvenientia non proveniunt ex probabilitate ſententiæ, ſed ex abuſu hominum.

QUÆSTIO 2.

An ceſſante fine hujus Conſtitutionis, poſſit Confeſſarius abſolvere ſuum complicem in peccato turpi, extra mortis periculum?

1. NOTA 1. Quod finis legis eſt duplex, ſcilicet, intrinſecus, & extrinſecus. Intrinſecus eſt ipſa honeſtas, quæ reperitur in re præcepta, ut honeſtas jejunij in jejunio præcepto. Extrinſecus eſt, honeſtas quæ reperitur in re præcepta accidentaliter, ut dum præcipitur jejunium ad ſatisfaciendum pro peccato.

2. No-

2. Nota 2. Quod finis legis poteſt ceſſare contrarie, vel negative. Tunc ceſſat negative, quando deſinit eſſe, vel non exiſtit. Tunc ceſſat contrarie, quando exiſtente fine legis, taliter mutatur in extremum, ut legis obſervantia reddatur illicita vel lex injuſta reddatur. De his conſule Moraliſtas, apud quos, aliquam varietatem reperies. Nunc.

3. Circa propoſitam difficultatem, reſpondent PP. Salmanticenſes in Apendice tract. 6. cap. 6. num. 174. hoc modo, & fere ſequentibus verbis: Tamquam omnino certum ſupponimus, quod deficiente fine hujus Sanctionis non tantum negative, ſed etiam contrarie, poteſt, & debet Sacerdos excipere Confeſsionem complicis.

4. Ratio eſt, quia ut aliqua lex vim obligandi obtineat, debet eſſe de re honeſta, & non nimis dura, & difficili; ſed deficiente fine hujus Conſtitutionis negative, & contrarie, ejus materia redderetur, vel mala, vel nimis dura, & difficilis: Ergo. Maj. eſt communis; quia lex non datur in deſtructionem, ſed in edificationem, debetque eſſe jugum ſuave, & onus leve. Min. videtur certa: Nam tunc finis legis ceſſat negative, quando lex pro aliquo caſu particulari redditur inutilis. Et tunc ceſſat contrarie, quando materia legis redditur mala, vel valde dura, aut nimis difficilis obſervari. Ergo ceſſante fine hujus Conſtitutionis negative, & contrarie, tunc Confeſſarius poteſt, & debet abſolvere ſuum complicem.

5. Confirmatur: Conſtitutio hæc Benedictina, dum tamquam periculoſam abſolutionem complicis damnat, communem utilitatem, & animarum ſalutem intendit: Ergo caſu, quo finis ejus ceſſet contrarie, obſervari non debet: Quia tunc ejus obſervatio eſſet damnoſa communi ſaluti: Quandoquidem fortiori præcepto ſuperveniente, illicitum eſſet complicem non abſolvere.

6. Caſu autem, quo, finis hujus Conſtitutionis ceſſaret tantum negative, tunc, relinquendo alijs facultatem opinandi, reſolvunt, quod Confeſſarius non poteſt abſolvere complicem; & hoc ideo, ut ipſi notant, quia in eorum ſententia, lex obli-

gat in caſu particulari, etſi finis adæquatus illius, in particulari, deficiat. Hæc eſt eorum doctrina, ut apud ipſos videri poteſt. Sed ne quis eam non callens, ea abutatur in ſui ruinam, proponam ſequentem caſum individualem, potius gratia doctiores interrogandi, quam de meo aliquid reſolvendi.

7. Suponamus itaque, quod in aliquo Loco ex illis, quos retuli ſupra quæſt. antecedenti, num. 13. ſint duo Sacerdotes, Tulius, ſcilicet, & Sephronius; ex quibus, Tulius per multum tempus, iterum, & ſæpius captus amore Euphemiæ, illam turpiter provocavit, ipſa todidem reſiſtente, & replicante, quod eſt Virgo, & quod ex corde vult caſtitatem ſervare; & forte addidit aliquando, quod ſic ab ipſa Deo promiſſum eſt. Sephronius autem, vir optimæ notæ, in ſenectutem declinans, & minime obſenis traditus, conſtitutus in ſolitaria occaſione, & in non præviſo periculo, cum relata Euphemia, illam ad turpia incitavit; & quæ toties Tulio repulſam dedit, conſenſum Sephronio præſtitit, & peccavit cum illo ſemel, & iterum. Non poſt multos dies, tam Sephronius, quam Euphemia pœnituerunt de peccatis ad invicem commiſsis: Et licet frequentes occaſiones habuiſſent turpem amicitiam continuandi, experientia comprobatum fuit, quod ad vomitum non redierunt. Nihilominus Euphemia frequentes tentationes patitur, & conſenſit aliquas, peccandi cum Tulio, quem, antequam cum Sephronio peccaſſet, toties objurgavit, ut dictum eſt; ſed ex peccatis commiſsis cum iſto, impleta eſt illuſionibus impudicis erga illum. Inſtat præceptum annuæ Confeſsionis, & Euphemia confitetur cum Sephronio complice ſuo. Quæro nunc: An hic Sacerdos poſsit fœminam complicem in peccato turpi abſolvere, maxime cum pro prima vice dixiſſet ei, quod confiteretur cum Tulio, & ipſa replicaret ei dicendo, quod nequaquam cum Tulio confiteri vult ob prædicta motiva, quæ omnia, diſtincte ipſi Sephronio expoſuit?

8. Prima ratio dubitandi eſt, quia in hoc caſu, obſervantia hujus Conſtitutionis eſt illicita, reſpectu Euphemiæ. Quoniam ſi confitetur cum Tulio de relatis fragilitatibus, non ſolum

lum præbet ei fundamentum, & motivum, ut illam de novo ſolicitet, ſed ipſamet exponit ſe periculo pluſquam probabili peccandi cum illo, ob novas tentaciones, quas patitur, conſentiendi pluries in ejus provocationem turpem. Deinde, per viginti, aut triginta leucas in circuitu, vel amplius, non eſt alius Miniſter, quem poſsit fœmina adire, ut confiteatur cum illo. Immo Patrem, & Matrem habet, qui nullo titulo permittere volunt, ut exeat ê Populo. Inſuper, nec ipſa, nec Sephronius habent modum vocandi alium Confeſſarium aliquo prætextu honeſto, ut hic Confeſsionem hujus fœminæ excipiat. Ulterius, ſi præceptum annuæ Confeſsionis non adimplet, ſine manifeſta nota infamiæ, ſimulari hæc omiſsio non poterit. Denique ut jam manet dictum, periculum peccandi cum Sephronio, jam certo moraliter, ſaltem pro tunc, plane ceſſavit.

9. Ego pro certo habeo, quod Sephronius poteſt Euphemiam in hoc caſu abſolvere directe ab alijs peccatis, & indirecte â peccatis turpibus complicitatis, monendo eam, ut quam primum habeat oportunitatem alterius Confeſſarij, iterum confiteatur cum eo de præfatis obſcenitatibus, ut directe abſolvatur ab eis. Ut enim hoc poſsit facere Sephronius, tot motiva non requiruntur; ſed ſufficeret ſolum periculum infamiæ, ut eruitur ex Brevi, *Apoſtolici muneris.* Sed de hoc infra, quæſt. 4. num. 2.

10. Attamen, ſi periculum turpitudinis revera ceſſavit inter Sephronium, & Euphemiam, forte tu judicabis, quod Sephronius poteſt illam directe abſolvere â peccatis complicitatis, abſque aliqua monitione, ut ſi forte copiam Confeſſarij habeat in poſterum, iterum confiteatur de illis. Ratio eſſe poteſt, quia in hoc caſu, finis hujus Conſtitutionis ceſſat negative, & contrarie. In primis ceſſat negative, quia periculum turpitudinis, ut ſuppono, jam non eſt. Deinde ceſſat contrarie, quia ſi Euphemia confiteretur cum Tulio, peccaret. Adde, quod Euphemia monitioni Sephronij, ut ſi forte pro tempore alium Confeſſarium habet, cum illo confiteatur, non acquieſ-

quieſcit; & quod continuo abſolutionem directam cum lacrymis poſtulat: Et quod ex ejus denegatione dignoſcitur infirmati, nimia triſtitia. Adde hæc, & alia, quæ poſsibilia ſunt, & judica, & cogita; nam ego de propria ſententia, nihil aſſerere audeo meum judicium timide, & reverenter ſubticendo: Ne forte contra me reponas, quod caſus propoſitus, potius quam difficultas quæſtionabilis, tibi figmentum apparet.

Vide tamen infra quæſt. 4. num. 9.

QUÆSTIO 3.

An Confeſſarius abſolvens complicem turpem, abſolvi poſſit ab excommunicatione majori reſervata, quam contraxit, in virtute Bullæ Cruciatæ: Et an ſit denunciandus Dominis Inquiſitoribus?

1. CONfeſſarius abſolvens complicem in peccato turpi extra articulum mortis, incurrit ipſo facto in excommunicationem majorem Summo Pontifici reſervatam: Immo eandem pœnam incurrit, ſi ad abſolvendum complicem introducitur, adhuc in articulo mortis, dum nulla adeſt neceſsitas, vel cum fingit infamiam, & ſcandalum, vel cum pericula non prævenit, dum poteſt, & media oportuna quærit, ut complex moribundus habeat copiam Confeſſarij. Etſi enim abſolutio complici moribundo collata â Confeſſario complice in his caſibus ultimis valida ſit, tamen præfatus Confeſſarius in pœnas Conſtitutionis incurrit, ut conſtat ex Brevi, *Apoſtolici muneris.*

2. Dico nunc 1. ad quæſt. Quilibet Confeſſarius approbatus poteſt abſolvere Confeſſarium, qui dictam excommunicationem contraxit, in virtute Bullæ Cruciatæ. Sic Bezerra, Gaſpar â Sancto Nicolao, Redal, Gonzalez Matthæo, eſtque communior opinio. Et ratio eſt in promptu, quia Bulla Cruciatæ non excluditur â Summo Pontifice in præfata Conſtitutione, niſi adhoc, ut in virtute ejus, nequeat Sacerdos complicem ſuum abſolvere â peccato turpi: Non autem, ut in virtu-

tu-

tute ejus abſolvatur Sacerdos, qui temere abſolutionem complici impertivit, ut colligitur ex illis verbis: *Declarantes etiam, & deſernentes, quod nec etiam in vim cujuſcumqne Jubilei, aut etiam Bullæ, quæ appellatur Cruciatæ Sanctæ, aut alterius cujuslibet indulti, Confeſſionem dicti complicis hujuſmodi quiſquam valeat excipere, eique Sacramentalem abſolutionem elargiri.*

3. Dices: Summus Pontifex concludit ſic in dicta Conſtitutione: *Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, præſertim, quæ nuncupantur Cruciatæ Sanctæ, vel Jubilei univerſalis, & plenarij, nec non quibuſvis Eccleſiarum, & Monaſterium, & Ordinum quorumlibet, &c.* Ergo.

4. Reſp. quod relata clauſula ultimata Conſtitutionibus, debet intelligi cum diſtributione accomoda; non vero cum extenſione ad omnia, quæ antecedenter diſpoſita ſunt. Unde idem importat, ac ſi Pontifex diceret, quod Confeſſarius nequeat abſolvere complicem in peccato turpi, nec in virtute Cruciatæ, nec Jubilei, neque alterius privilegij: Non autem innuit, quod ſi forte aliquis Confeſſarius abſolvit complicem, ac propterea, excommunicationem reſervatam incurrat, non poſsit abſolvi in virtute Cruciatæ, Jubilei, vel privilegiorum. Ratio eſt, quia excluſio juriſdictionis eſt odioſa: Ergo juriſdictio, quam habent Confeſſarij virtute Bullæ Cruciatæ, Jubilei, vel alterius indulti, non cenſetur abrogata, niſi expreſſe abrogetur. Uno verbo: In Conſtitutione expreſſe dicitur, ut complex non poſsit abſolvi â Confeſſario cum quo peccavit, neque virtute Cruciatæ, neque Jubilei, neque alterius privilegij. Non vero dicitur expreſſe, quod Confeſſarius, qui complici abſolutionem impertivit, & eſt ipſo facto excommunicatus excommunicatione majori Papæ reſervata, non poſsit abſolvi in virtute Cruciatæ, Jubilei, aut alterius indulti. Vide Redal §. 13. n. 66. Matth. n. 301. Gaſp. â S. Nicol. pag. 347.

5. Ex his colliges, quod hæc excommunicatio abſolvi etiam potes â Regularibus, in virtute ſuorum privilegiorum; quoniam Regulares, extra italiam, habent privilegium ad abſolvendum á caſibus Papæ reſervatis, & ab excommunica-

tione Pontifici reſervata, extra Bullam Cœnæ. De quo videri poteſt Reifenſtuel in Summ. tract. 13. de Cenſuris, quæſt. 4. in Appendice per totum. Idem poſſunt Epiſcopi reſpectu ſuorum Subditorum, ex Trident. Seſſ. 24. de reform. cap. 6. Vide etiam Bezerram num. 299.

6. Difficultas hic eſſe poteſt, an Confeſſarius incurrat in dictam excommunicationem reſervatam, etſi complicem in peccato turpi, cujus Confeſsionem excipit, non abſolvat? Videtur quod ſic; quia in Conſtitutione nulla fit mentio de abſolutione, & ſic ſentit Matthæo num. 302. Verum ſi actus incompleti turpes non cenſentur in Conſtitutione comprehenſi, quia odia debent reſtringi, non videtur improprium dicere, quod verba Conſtitutionis debent intelligi de completa exceptione Confeſsionis complicis, quæ per abſolutionem opere completur. Nihilominus, me ſubjicio doctioribus. Poſt editionem 1. inveni Ligorium lib. 6. tract. 4. cap. 2. dub. 2. n. 558. fol. 222. Ubi dicit, quod ſuper hoc dubium conſuluit Sacram Pœnitentiariam, quæ die 9. Julij 1751. reſpondit abſolute: *Non vitari excommunicationem per fictionem abſolutionis.* Sed cum poſtea percurriſſet Conſtitutionem ejuſdem Pontificis, quæ incipit *inter præteritos*, oppoſitum ſatis declaratum repeRuiſſe. Hæc ſunt verba dictæ Conſtitut. quæ habetur tom. 3. Bullarij Sanctiſsimi Benedicti: *Non minus Sacerdoti complici, qui vel extra mortis articulum Confeſsionem excipit pœnitentis.* Eumque abſolvit, *vel qui in articulo mortis abſolvit, cum alius Sacerdos non deſit. Excommunicationis majoris pena à nobis in citatis Conſtitutionibus impoſita fuit.*

7. Dico 2. Confeſſarius, qui ſcienter complicem in peccato turpi abſolvit, non eſt Dominis Inquiſitoribus denunciandus. Ratio eſt, quia nullibi talis denunciatio præcipitur. Advertit autem citatus Bezerra, quod ſi procederet cum errore, docens Summum Pontificem non poſſe Confeſſarium ligare cenſuris, ut complicem non abſolvat, tunc denunciandus eſſet ut Seminator falſæ doctrinæ; & quia dubitaret de poteſtate Papæ, & de clavibus Eccleſiæ, ſicut hæretici, eſſetque errans in fide.

8. Nec

8. Nec dicas, quod abſolvens ſine juriſdictione eſt ſuſpectus in fide: Ergo ex hoc præciſſe eſt denunciandus. Nam talis ſuſpicio eſt generaliſsima, & leviſsima, inquit Pignatellus in noviſsim. Conſul. 114. ac proinde judicio DD. Inquiſitorum non ſubjicitur. Idem docet Bordonus capit. 22. de Abuſu Sacram. num. 19. ubi dicit, quod omnis abuſus Sacramenti arguit ſuſpicionem hæreſis, ſed ille tantum, qui habet fundamentum in hæreſi, non vero in ſolo illicito uſu. Et addit, quod in caſu potius daretur illicitus uſus, quam abuſus: Quia carens juriſdictione ſolum opponitur præcepto Eccleſiæ, non fidei, cum habeat Sacerdotium, & poteſtatem ordinis. Decreta enim, & Conſtitutiones Pauli V. Gregorij XIII. Clementis VIII. & Urbani VIII. non loquuntur de Sacerdotibus audientibus Confeſsiones ſine juriſdictione: Sed de non promotis ad Sacrum Presbyteratus ordinem. Vide Bordonum loco citato, & in Manuali ſect. 23. â num. 1. & ſect. 24. â num. 3.

QUÆSTIO 4.

Proponuntur, & reſolvuntur aliqua dubia, extra articulum mortis.

1. INquires 1. An qui peccavit cum fœmina, antequam ad Sacerdotium aſſumptus eſſet, poſsit eam abſolvere poſtquam factus eſt Sacerdos? Negative reſpondent Gonzalez Matth. n. 296. Redal §. 14. n.84. & Hidalgo Diſſert.4. q. 8. citans Doctorem Diaz Carmelitanum. Ratio eſt, quia tale peccatum revera eſt peccatum complicitatis. Si autem jam fœmina directe fuit ab alio abſoluta â tali peccato, tunc confiteri poteſt, & iterum abſolvi â tali Sacerdote, cum quo, dum ſecularis erat, vel antequam promotus eſſet ad Sacerdotium, peccavit. Eccleſia enim in reſervandis peccatis, peccata directe abſoluta non comprehendit: Neque Papa in ſua Conſtitutione, hæc peccata includit. Vide dicta quæſt. 1. hujus diſput. num. 4.

2. Inquires 2. An Confeſſarius poſsit extra articulum mortis abſolvere complicem in peccato turpi, ad fugiendam infamiam? Sit caſus: Non eſt niſi unicus Sacerdos, in aliquo loco, qui peccavit cum Maximilla. Inſtat præceptum annuæ Confeſsionis, & licet nec Maximillæ, nec Sacerdoti, valde durum ſit, providere de remedio, tamen ob reciprocam ſomnolentiam, de hac providentia non curarunt. Si Maximilla non confitetur, & non communicat in die Paſchatis, non ſolum dabit ſcandalum, ſed forte Maritus, & alij ſuſpicabuntur male de ipſa, & de Sacerdote. Quæritur: An in hoc caſu poſsit confiteri cum eo, & ab ipſo abſolvi?

3. Negat Redal §. 14. â num. 69. nolens concedere, quod in hoc, vel ſimili eventu, poſsit abſolvi directe ab alijs peccatis, & indirecte â peccato complicitatis, quouſque habeat oportunitatem Confeſſarij, â quo directe â tali peccato abſolvatur. Ratio eſt, quia hic Confeſſarius nullam habet juriſdictionem ad complicem abſolvendum, ut conſtat ex illis verbis: *Adeo quidem, ut abſolutio ſi quam impertierit, nulla, atque irrita ſit.*

4. Sed ſatis probabiliter affirmat Hidalgo Diſſert. 4. q. 6. & hæc videtur eſſe mens Sanctiſsimi Benedicti, in Brevi Apoſtolici muneris, in quo declarat, quod pro articulo mortis tribuit Confeſſario juriſdictionem ad abſolvendum complicem, ſi ex vocatione alterius Sacerdotis poteſt ſequi ſcandalum, aut infamia. Nota tamen, quod cum præfatum peccatum non maneat directe abſolutum, tenetur fœmina iterum confiteri de eo cum alio Confeſſario, ut directe ab illo abſolvatur. Vide ſup. quæſt. 2. num. 9.

5. Inquires 3. Quid debeat facere Confeſſarius, ſi in caſu immediate ſupra poſito, judicaret pro tunc, cum conſcientia invincibiliter erronea, quod complicem abſolvere poterat, eumque non monuit, ut habita copia alterius Confeſſarij, confiteatur cum illo? Reſpondeo, quod debet licentiam ab eo petere, loquendi cum illo de actis in Confeſsione; & hac obtenta, monere illum ut cum illo confiteatur; eo quod â tali

pec-

peccato complicitatis venereæ, pœnitens non fuerit directe abſolutus.

6. Inquires 4. An caſu quo Confeſſarius hanc diligentiam practicare non valeat, ſine graviſsimo incommodo, aut pœnitentem monere, quia eſt valde abſens, obligatus ſit ad hæc incommoda vincenda, & damna imminentia toleranda, ut pœnitens complex inſtructus maneat de ſua obligatione? Mihi videtur, quod non: Quia vel dictus pœnitens eſt in bona fide, vel in fide mala de Confeſsione, quam cum Confeſſario complice fecit? Si in mala fide, ipſi confitebitur cum alio, ſine aliqua monitione, quam primum habebit opportunitatem. Si in bona fide, tunc peccatum complicitatis reduci debet ad peccatum invincibiliter oblitum, & in ſequenti Confeſsione, remittetur indirecte; licet, ut ſuppono, minime confiteatur de illo, ſed ſolum de alijs.

7. Inquires 5. An Sacerdos peregrinus, qui peccavit ex accidenti cum fœmina, & altera die, cum ſederet in Confeſſionario pro Confeſsionibus excipiendis, ipſa acceſsit inter alias, & Confeſsionem cœpit, poſsit ipſam abſolvere, cum dubio, ſi fœmina illa, quæ confitetur, eſt illa cum qua peccavit? Reſp. 1. quod Sacerdos non tenetur fœminam interrogare, an peccaverit cum illo, vel non? Hoc enim eſſet ſe exponere periculo manifeſto ſe infamandi, in caſu poſito; quia potuit fœmina peccare cum alio, ut patet ex facie caſus.

8. Reſp. 2. quod etſi Confeſſarius fœminam ſolum tranſeunter communicaverit extra Confeſsionem, ſi tamen ex circumſtantijs peccati certe dignoſcit, quod talis fœmina eſt ipſa cum qua peccavit, non poteſt eam abſolvere: Quia revera eſt complex. Caſu autem, quod etſi certe non cognoſcat, talem fœminam eſſe complicem ſuæ turpitudinis, hoc quaſi pro certo tenet, etſi aliquantulum dubitet, judico quod bene faceret, ſi eam interrogaret de aliqua materia difficili Doctrinæ Chriſtianæ, ad quam reſpondere ipſa neſciat; & hoc motivo ipſam monere, ut curet inſtrui melius de doctrina, & quod poſtea confiteatur. Sed caveat ne dicat ei, quod in peccato

cato conſtituta eſt, ob hanc ignorantiam; cum revera fœmina obligata non ſit, ad materias difficiles doctrinæ ſciendas: Sed prætextare tantum hoc factum poterit, titulo congruentiæ, dicendo ei, quod congruum eſt, ut melius inſtructa ſit, vel quod diligentius examinetur, &c.

9. Reſp. 3. quod ſtando in terminis rigoroſi dubij, quando, ſcilicet, Confeſſarius dubitat in rei veritate, an talis fœmina ſit, vel non ſit complex ſuæ turpitudinis venereæ, tunc poteſt abſolvere illam. Sic ſentit Redal §. 14. num. 77. Ratio eſt: Tum, quia in tali caſu ceſſant omnia motiva legis hujus Pontificiæ: Lex autem non obligat, omnibus motivis ceſſantibus, in aliquo caſu particulari. Tum, quia in dubio melior eſt conditio poſsidentis: Ergo Confeſſarius in hoc caſu eſt impoſſeſsione ſuæ juriſdictionis.

10. Inquires 6. An Confeſſarius poſsit abſolvere ſuum complicem venereum, â peccato complicitatis, de quo inculpabiliter oblitus fuit, dum Confeſſus fuit cum alio Confeſſario? Reſp. negative, quia in tali caſu, tale peccatum directe debet abſolvi, & Confeſſarius eſt complex formalis reſpectu pœnitentis,

11. Dices: Qui oblitus eſt alicujus peccati reſervati, quando Confeſſus fuit cum habente juriſdictionem ad abſolvendum â reſervatis, cum poſtea recordatur de illo, poteſt abſolvi â quolibet Confeſſario: Ergo idem in caſu. Reſp. neg. conſeq. quia peccatum turpe complicitatis non eſt reſervatum, cum Summus Pontifex non dicat in Conſtitutione, *reſervamus*, ſed dicat, *prohibemus*, *interdicimus*, *&c.* quæ verba indicant nullitatem juriſdictionis Confeſſarij ad abſolvendum pœnitentem directe â peccato complicitatis. Accedit, quod reſervatio ſolum reſpicit proprie pœnitentem; at hæc Benedictina prohibitio, æque pœnitentem, ac Confeſſarium reſpicit: Seu in pœnam utriuſque eſt condita.

12. Inquires 7. An ſi duo Confeſſarij mutuo convenirent interſe ad aliquam fœminam ſolicitandam ad copulam, & ſolicitatio effectum haberet, poſſent ſe mutuo abſolvere? Reſp.

quod

quod ſi quilibet eorum habet influxum in alium, ut cum fœmina peccet, abſolvi non poſſunt ad invicem. Sicut nec Confeſſarius poteſt abſolvere fœminam, quam ſolicitavit, & perſuaſit, ut habeat copulam cum aliquo viro. Ratio eſt, quia in primo caſu, quilibet ex eis eſt complex in peccato alterius turpi: Et in ſecundo, Confeſſarius etiam eſt complex in copula fœminæ. Etſi enim hæc peccata ſint ſcandali, & contra charitatem, ſunt ſimul venerea, & contra ſextum Decalogi præceptum; quia ſcandalum datum eſt circa hoc præceptum, & charitas in materia turpi violatur. Admodum quo, qui alium perſuadet ad furtum, non ſolum peccat contra charitatem, ſed etiam contra ſeptimum Decalogi præceptum. Vid. Matthæo, num. 303. Nihilominus, tu cogita, an in his caſibus detur vera, & propria complicitas turpis.

13. Inquires ultimo, quid debeat facere Confeſſarius, quando fœmina complex ſuæ turpitudinis, inopinate accedit ad ejus Confeſsionale, & importune petit ab eo abſolvi? Reſpondeo, quod ſi alia media prudentialia, quæ pro oportunitate temporis, & loci excogitari poterunt, non ſufficiunt, ut recedat, & quærat alium Confeſſarium, conveniens erit dicere ei: *Ego non poſſum te audire in Confeſſione, & multo minus abſolvere, quia juriſdictione careo, ad hoc peccatum abſolvendum.*

QUÆSTIO 5.

Proponuntur, & reſolvuntur aliqua dubia pro articulo mortis.

1. INquires 1. Quid veniat nomine *articulus mortis?* Valentia, Sotus, Canus, Cobarrubias, & alij pro articulo mortis tantum intelligunt illud tempus, in quo mors inſtat, ſeu taliter eſt in fieri, ut moraliter loquendo vitari non poſsit: Nunc ſit mors naturalis, nunc ſit violenta. Caſtro Palao, & plures alij, quos citat Leander tract. 5. diſp. 11. quæſt. 7. aſſerunt, quod in ordine ad adminiſtrandum Sacramentum Pœnitentiæ, articulus mortis idem eſt, ac probabile periculum illius; quoniam pro eodem reputantur in jure in cap.

eos

eos qui. Sic Dolz de Pœnit. diſp. 3. num. 124. Hanc ſententiam amplectitur etiam Hidalgo diſſert. 5. quæſt. 1. in Coroll. ſequutus alios, quos citat.

2. Ex quo infert ad noſtrum intentum, & recte, quod deficiente alio quocumque Sacerdote, poteſt Confeſſarius complex valide, & licite abſolvere ſuum turpem complicem, primo: Si laboret tali infirmitate, vi cujus plures alij infirmi deceſſerunt ê vita. Secundo: Si ſe committat navigationi periculoſæ, & expoſitæ frequenter naufragijs. Tertio: Si agat iter latronibus infeſtum, in quo plurimi fuerunt ab illis occiſi. Quarto: Si eſt miles, & iter agat ad bellum. Quinto: Si eſt fœmina gravida difficilem timens partum, vel quia nullum adhuc experta eſt, vel quia partus periculoſos didicit propria experientia. Sexto: Si laborat periculo amentiæ perpetuæ, quod non immerito pro periculo mortis communiter habetur. Septimo: Si fuerit ex Bannitis, qui ubicumque impune poſſunt ab alijs occidi. Octavo: Si ſerviat infeſtis peſte. Addo ex citato Dolz, verum etiam intervenire articulum mortis, quoties Medicus præcipit miniſtrari Sacramentum Pœnitentiæ infirmo, ſaltem ut nunc practicatur: Et graviſsimos Authores defendere, id ipſum eſſe intelligendum in caſu damnati ad furcam.

3. Inquires 2. An conſtitutus in aliquo ex relatis periculis mortis, & abſolutus â Confeſſario complice ſuo, ob defectum alterius Sacerdotis, etiam ſimplicis, teneatur poſtea cum alio confiteri, ſi non migravit ê vita? Reſp. negative; quia licite, & valide Confeſſus, & abſolutus fuit in tali caſu, & cum Confeſſario legitimo, â quo fuit directe abſolutus: Nam talis eſt Confeſſarius complex in tali articulo, ut ex Conſtitutione conſtat.

4. Inquires 3. An caſu quo in articulo mortis pœnitentis, detur præter Confeſſarium complicem, alter Sacerdos ſimplex, ſeu non approbatus ad Confeſsiones audiendas, debeat hic vocari, ut Confeſsionem infirmi excipiat? Reſp. affirmative, & conſtat ex Conſtitutione: Nam in tali caſu datur copia Sacerdotis, qui munus Confeſſarij obire poſsit. Sed tu exa-

examina, an ſi Sacerdos ille ſimplex eſſet valde illiteratus, & pœnitens plura negotia intrincata haberet, reputandus eſſet, tamquam ſi non adeſſet.

5. Inquires 4. Quid faciendum, ſi in tali caſu, præfatus Sacerdos ſimplex Confeſsionem infirmi audire fugit, & adduci nequit ad hoc munus excercendum? Reſp. quod tunc poteſt Confeſſarius complex ſuum complicem infirmum audire. Nam alter Sacerdos reputatur tamquam ſi non adeſſet. Ita Redal §. 12. num. 61.

6. Inquires 5. Quid etiam faciendum, ſi ex vocatione Sacerdotis ſimplicis, etiam ſi iſte paratus ſit ad infirmum confitendum, timetur infamia? Reſp. idem Sanctiſsimus Legislator, in Breve *Apoſtolici muneris*, his verbis: „ Porro ſi caſus „ urgentis qualitas, & concurrentes circumſtantiæ, quæ vitari non poſſunt, ejuſmodi fuerint, ut alius Sacerdos ad audiendam conſtitutæ in dicto articulo perſonæ Confeſsionem, vocari, aut accedere ſine aliqua gravi exoritura infamia, vel ſcandalo nequeat, tunc alium Sacerdotem per inde haberi, cenſerique poſſe, ac ſi revera abeſſet, atque deficeret, ac proinde in eo rerum ſtatu non prohiberi ſocio criminis Sacerdoti abſolutionem pœnitenti ab eo quoque crimine impertiri.

7. Inquires 6. Quid etiam dicendum, ſi Confeſſarius fingit periculum ſcandali, vel infamiæ, cum revera non eſt tale? Reſp. iterum ipſe Legislator Supremus, ibedem: „ Sciat „ autem complex ejuſmodi Sacerdos, & ſcerio animadvertat, „ fore ſe re ipſa coram Deo, qui irrideri non poteſt, reum „ gravis adverſus prædictam noſtram Conſtitutionem inobedientiæ, latiſque in ea pœnis obnoxium, ſi prædictæ infamiæ, aut ſcandali pericula ſibi ultro ipſe confingat, ubi „ non ſunt: Immo intelligat, teneri ſe graviter hujuſmodi „ pericula quantum in ſe erit, antevertere, vel removere, „ oportunis adhibitis medijs, unde fiat, ut alteri cuivis Sacerdoti locus pateat illius Confeſsionis abſque ullius infamia, vel ſcandalo audiendæ: Ita enim ipſum teneri vigore

„ memoratæ Conſtitutionis declaramus, & nunc quoque ita
„ ipſi faciendum eſſe diſtricte mandamus, & præcipimus.

8. Inquires 7. An ſi Confeſſarius ſe ingeſſerit ad talem complicem confitendum fingens periculum infamiæ, & huic mandato non obediens, talis Confeſsio ſit valida? Reſp. etiam ipſe Legislator clementiſsimus ibidem: „ Quambis hujuſmo-
„ di abſolutio valida futura ſit dummodo ex parte pœniten-
„ tis diſpoſitiones, â Chriſto Domino ad Sacramenti Pœni-
„ tentiæ valorem requiſitæ, non defuerint: Non intendimus
„ autem pro formidando mortis articulo eidem Sacerdoti,
„ quantumvis indigno, neceſſariam juriſdictionem auferre, ne
„ hac ipſa occaſione aliquis pereat: Nihilominus Sacerdos ip-
„ ſe violatæ auſu ejuſmodi temerario legis, pœnas nequa-
„ quam effugiet: Ac propterea latam in dicta Conſtitutione
„ majorem excommunicationem, eodemque plane modo, quo
„ ibidem decernitur, Nobis, & huic Sanctæ Sedi reſervatam,
„ incurrat, pro ut ipſum incurrere eo ipſo declaramus, vo-
„ lumus, atque ſtatuimus.

9. Inquires ultimo. An debeat reputari ut verum periculum infamiæ, aut ſcandali, ſi pœnitens confiteri non vult cum Sacerdote ſimplici, & inſtanter vocat Confeſſarium complicem, & infirmitas aggravatur? Videtur reſpondendum affirmative, & ſic ſentit Redal num. 63. aſſerens quod in hoc caſu licite, & valide poteſt eum abſolvere. Si enim Confeſſarius negatur inſtantijs complicis moribundi, poteſt oriri inter alios vehemens ſuſpitio, quod aliquid turpe cum infirmo commiſit. Accedit, quod in tali caſu ſe ingeſſerit ad Confeſsionem complicis audiendam gravi neceſsitate compulſus, & neceſſaria cauſa cogente: Unde non eſſet reus Conſtitutionis. Sed notandum venit, quod ſi hoc periculum prævidit antea cum ſufficienti fundamento, debuit illud vitare, ut dictum eſt.

QUÆST.

QUÆSTIO ULTIMA.

Proponuntur, & reſolvuntur varia dubia de falſo denunciante Confeſſarium innocentem.

1. INquires 1. An pœnitens falſo denuncians, ut ſolicitantem, Confeſſarium innocentem, maneat excommunicatus? Reſp. negative, quia talis excommunicatio non imponitur â Papa in Conſtitutione. Incurrit tamen in peccatum reſervatum Summo Pontifici, â quo abſolvi nequit ab alio, niſi in articulo mortis.

2. Inquires 2. An incurrat in hanc reſervationem, qui mandat pœnitenti ut falſo denunciet Confeſſarium, vel id procurat impijs ſuaſionibus, aut promiſsis, aut blanditijs, aut minis, aut alio quovis modo influente in tale peccatum infamiæ? Reſp. affirmative, & patet in textu: *Vel per ſe ipſum innocentes Confeſſarios impie calumniando, vel ſceleſte procurando, ut id ab alijs fiat*. In utroque caſu incurritur in reſervationem, & eſt prima reſervatio, quam Summi Pontifices uſque nunc ſibi ſignificarunt, ſine cenſura, ut notant omnes moderni.

3. Inquires 3. Quomodo ſit abſolvendus in articulo mortis hujuſmodi falſo denuncians? Reſp. quod abſolvi debet ſatisfacta parte. Si enim poteſt, ſcribere debet Epiſtolam ad Dominos Inquiſitores, retractando ſuam falſam denunciationem: Si hoc facere nequit, poſtulet humiliter â Confeſſario, ut Epiſtolam ſcribat nomine ſuo, & vices ſuas agat meliori modo quo poſsit, ut fama proximi non pereat, & juſtitia commutativa offenſa non maneat.

4. Inquires 4. An extra articulum mortis poſsit abſolvi talis falſus calumniatur, per Bullam Cruciatæ, & in vi privilegiorum Regularium? Reſp. affirmative, quia neque Bulla Cruciatæ, neque privilegia Regularium abrogantur per Conſtitutionẽ. Oppoſitum judicarunt alij, eo quod Summus Pontifex dicat, quod talis calumniator non poſsit abſolvi *â quocumque Sacerdote, quovis privilegio, authoritate, & dignitate munito, &c.* Attamen hæc clauſula generalis eſt, cum expreſſam derogationem privile-

giorum Regularium non contineat. Nota tamen, quod abſolutio non poteſt ei conferri, niſi ſatisfacta parte, ut immediate dictum manet. Vid. Bezerra num. 300.

5. Inquires 5. An falſo denuncians Confeſſarium innocentem, ignorans hoc peccatum eſſe reſervatum, incurrat in reſervationem? Reſp. Redal §. 8. num. 43. probabile eſſe, quod non incurrit. Siquidem reſervatio non incurritur, ſine notitia legis reſervantis. Sed hæc non eſt communior opinio, ut ipſemet advertit.

6. Inquires 6. An incurrat in hanc reſervationem, qui fœminæ juſsit denunciare aliquem innocentem Confeſſarium, vel alio modo ad hanc nefariam audaciam, & deteſtabile facinus induxit, ſi antequam ipſa denunciationem faciat, retractatur de ſuo animo doloſo, aut de ſua impia intentione? Reſpond. ex citato Redal num. 45. negative, ſi animo efficaci, & ſerio retractavit conſilium, vel mandatum: Licet enim, tunc fœmina denunciet, mandans, vel conſulens, non influit jam in peccatum ejus.

7. Inquires 7. An qui juſsit fœminæ falſo denunciare Confeſſarium, incurrat in reſervationem, ſi denunciatrix non eſt ipſa fœmina, ſed filia ejus? Reſp. citatus num. eodem, quod ſi juſsit fœminæ, ut denunciaret Confeſſarium innocentem, vel per ſe, vel per filiam ejus, tunc reus eſt reſervationis; quia proxime influit in peccatum infamiæ. Si autem nihil dixit fœminæ, ut filia ſua denunciaret, tunc ſolum Mater, & filia quæ proxime influunt in infamiam, incurrunt in illam: Non vero mandans, quia tantum remote influit, & odia ſunt reſtringenda.

8. Inquires ultimo: An incurrat in hanc reſervationem, qui falſo denunciat Confeſſarium de crimine non turpi, atque inhoneſto? Reſp. negative, quia Conſtitutio ſolum loquitur de illis, qui *innoxios Sacerdotes apud Eccleſiaſticos judices falſo ſolicitationis inſimulant.* Vide alia longiori calamo apud Authores, qui de his Conſtitutionibus ſcripſerunt; Mihi hæc pro mea tenuitate ſufficiant.

APPEN-

APPENDIX I.

De Confeſſario nomen complicis â pœnitentibus exquirente; & de pœnis, quibus ob hoc delictum puniri debet.

1. QUidquid ſit, an liceat pœnitenti ſui criminis ſocium libere, & ſponte Confeſſario revelare; certum tamen eſt, raro evinire poſſe, ut liceat Confeſſario complicis nomen â pœnitente ſciſcitari, multoque minus ad illud ſibi patefaciendum obligare pœnitentem. Quapropter in Synodo Bajocenſi ann. 1300. cap. 82. tom. 6. Collectionis Harduini col. 1238. dicitur: *In Confeſſione ſibi caveant Sacerdotes, ne inquirant nomina perſonarum, cum quibus peccaverunt confitentes.* In Synodo Lingonienſi ann. 1404. ſic: *Caveant Sacerdotes, ne in Confeſſione inquirant ab his, quorum audiunt Confeſſiones, ut nominent eis expreſſe perſonas, cum quibus ipſi confitentes peccaverint.* In Synodo Leodienſi ann. 1405. hæc habentur: *Inhibemus Sacerdotibus, ſtatuendo, & omnibus Confeſſoribus, ne â confitentibus nomina illorum, cum quibus peccaverunt inquirant, vel circumſtantias, per quas poſſint nomina eorum deſignari. Quod ſi fecerint, ab officio audiendi Confeſſiones noverint ſe ipſo facto eſſe ſuſpenſos.* Audiamus nunc Synodum Senonenſem ann. 1524. *In audiendis Confeſſionibus caveant Sacerdotes, ne inquirant loca manſionum, & nomina perſonarum, cum quibus peccaverunt confitentes.* Concinuntque his Synodus Carnotenſis ann. 1526. Synodus Pariſienſis ann. 1557. Statuta Synodalia Eccleſiæ Trecenſis, & Sifridi Archiepiſcopi Colonienſis, quæ videri poſſunt in Tractatu hiſtorico, & dogmatico de *Secreto inviolabili Confeſſionis* edito ann. 1708. â Langlet Du-Freſnoy, pag. 223. & ſeq. Quæ omnia refert, & docet Sanctiſsimus Benedictus XIV. in Synodo Diœceſana ſæpe hucuſque laudata lib. 6. c. 11. num. 1. & 2.

2. At, etſi hoc Sanctiſsime ſancitum ſit in pluribus antiquis Synodis, nihilominus rumor ad aures Sanctitatis ſuæ

hac

hac noſtra ætate pervenit, aliquos Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtros, ſuffultos quorumdam Theologorum aut falſa, aut male intellecta doctrina, cœpiſſe non ſolum â pœnitentibus complicis nomen exquirere, ſed ad illud ſibi aperiendum, locumque inſuper deſignandum, ubi is habitaret, eoſdem adigere, denegata renuentibus alterutrum manifeſtare Sacramentali abſolutione. Hujus vero perniciosæ praxis hanc præferebant cauſam, videlicet, ut ipſi complicem poſtea corriperent, atque ita in ejus tantum utilitatem hujuſmodi uterentur revelatione. Verum conſiderans prudentiſsimus Paſtor Eccleſiæ Benedictus gravia mala, quæ inde neceſſario conſequebantur; quoniam, ipſomet atteſtante, proximi lædebatur fama; arctum Sacramentalis Confeſsionis ſigillum periclitabatur; abſterrebantur Fideles â ſuis culpis Confeſſario integre, prout cæteroquin opus eſt, manifeſtandis; rixe, & diſcordiæ diſſeminabantur, & tota demum perturbabatur communitas: Idcirco pro ſuo Supremi Apoſtolatus munere, prædictum tunc primo pullulantem abuſum, priuſquam inoleſceret præfocandum duxit ſuis litteris Apoſtolicis, in forma Brevis, incipientibus *Suprema*, quæ habentur tom. 1. ſui Bullarij num. 134. alijsque duabus poſterioribus Conſtitutionibus, quarum initia ſunt *Vbi primum*, nec non *Ad eradicandum*, quæ inſertæ ſunt in eodem Bullario t. 6. num. 8. & num. 20. Hinc.

3. Quæres 1. Quid decernat Summus Pontifex in citato Brevi, incipiente *Suprema?* Reſp. quod in eo monet Epiſcopos Regni Portugalliæ, & Algarbiorum ut utantur opportunioribus remedijs de jure, contra delinquentes Miniſtros Sacramenti Pœnitentiæ ſupra relatos, ad opprimendam hanc noxiam novitatem, & praxim quam reprobat in præfato Brevi. Quare media, quibus uti debent, & pœnæ, quibus tranſgreſſores debent puniri, in arbitrio eorum eſt repoſita, in vi dictarum litterarum, ut eas legenti patebit.

4. Quæres 2. Quid decernat Summus Pontifex in Conſtitutione, incipiente *Vbi primum?* Reſp. 1. quod in primis decernit, ut quicumque cujuſvis ſtatus, gradus, conditionis, digni-

nitatis, & ordinis, etiam ſpeciali, & individua ad effectum, ut dictis litteris Apoſtolicis comprehendantur, mentione, & expreſsione digni, auſi fuerint in poſterum docere licitam eſſe hujuſmodi praxim, prout in relato Brevi exponitur, ac reprobatur; vel ſcribere, aut loqui præſumpſerint, in ejuſdem damnatæ praxis defenſionem; vel ea, quæ in dicto Brevi contra eandem praxim decreta ſunt impugnare, aut in alienos ſenſus temere detorquere, ſeu interprætari; incidant ipſo facto in excommunicationem, à qua non poſsint, preterquam in articulo mortis, ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, vel authoritate ſuffulto, niſi à Romano Pontifice abſolvi. Nota tamen hic obiter, quod ab hac excommunicatione, Pontifici reſervata, poteſt abſolvere quilibet Confeſſarius approbatus vi Bullæ Cruciatæ; nec non Regulares per ſua privilegia, quia nec de privilegijs Regularium, nec de Bulla Cruciatæ aliquam mentionem facit Pontifex.

5. Reſp. 2. Etiam decernere Summum Pontificem in citata Conſtitutione, & ſimul declarare, quod docentes licitam eſſe praxim prædictam à Sanctitate ſua reprobatam, vel ſcribentes in defenſionem ejuſdem praxis, nec non loquentes, vel impugnantes præfatam reprobationem, aut perverſe eam interprætantes, in Officio Sanctæ Inquiſitionis prædictorum Regnorum ſevere puniantur; & quod contra eos in eodem Officio procedatur, non minus ac contra illos ibidem procedi ſolet, qui aſſerunt, tradunt, & tuentur opiniones ſcandaloſas, pernicioſas, & uti tales â Sede Apoſtolica rejectas, & condemnatas.

6. Reſp. 3. Decernere, ac etiam in dicta Conſtitutione ſtatuere Summum Pontificem, ut procedatur in Sancto Officio contra Confeſſarios ſic delinquentes, ſeu de nomine complicis pœnitentem interrogantes, eidemque pœnitenti, niſi illud ſibi manifeſtet, abſolutionem denegantes: Dummodo tamen hujuſmodi interrogandi, ac denegandi actus talibus circumſtantijs conjunctus ſit, ac conveſtitus, quæ ſic agentem Confeſſarium de adhæſione ad prædictam reprobatam praxim, tam-

quam licitam, vel alio quovis modo de prava credulitate ſuſpectum reddant. Ita, ut quos in aliquo ex hujuſmodi exceſſibus culpabiles repererint (Domini Inquiſitores) in eos pro criminum qualitate, & circumſtantijs, ſuſpenſionis ab officio Confeſsiones audiendi, vel etiam ab excecutione Ordinum, privationis Beneficiorum, Dignitatum, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis activæ, & paſsivæ, ſi Regulares fuerint, aliasque pœnas decernant; omnes etiam, vel earum tantum aliquas, in perpetuum, vel ad tempus infligendo.

7. Medina, quem ſequutus fuit Lopez, apud Dianam coordinatum tom. 5. tract. 10. Reſol. 79. jam olim docuit Confeſſarium affirmantem pœnitenti, ut ſibi revelet complicem, alias eum non poſſe, nec velle abſolvere, puniendum eſſe â Dominis Inquiſitoribus tamquam hæreticum. Ratio eſt, quia hæreſis eſt affirmare, quod teneatur pœnitens eam circumſtantiam confiteri, nam ſequeretur licitum eſſe infamare proximum. Contrarium docuit Villalobos in Summa tom. 1. tr. 9. difficul. 38. num. 9. Sed ejus doctrina nunc caute legenda eſt. Quoniam etſi verum ſit, valde controverſum eſſe inter Doctores, an revelatio complicis in Confeſsione Sacramentali facta, ſit infamare proximum, ut ad rem allegat citatus Author, nihilominus, quando talis revelatio præcipitur, & ſuadetur pœnitenti â Confeſſario, in terminis, quibus loquitur Conſtitutio, certe illicita eſt, quin in contrarium poſsit nunc eſſe probabilis dubitatio.

8. Inquires hic 1. An ſit obligatio denunciandi Confeſſarium delinquentem contra dictam Conſtitutionem, Dominis Inquiſitoribus? Reſp. affirmative, & patet ex ipſo textu per hæc verba: „ Quicumque vero alium quemlibet aliquo ex ſupradictis modis deliquiſſe cognoverit, eum, intra terminum „ dierum, in Edictis Sancti Officij ejuſmodi Inquiſitionis „ præfigi ſolitum, eidem Sancto Officio denunciare teneantur: Alioquin pœnas non denunciantibus per eadem Edicta infligi conſuetas incurrant.

9. Inquires 2. An etiam ipſemet pœnitens, quem Confeſſa-

feſſarius de complice interrogat, prout reprobatum eſt à Summo Pontifice, teneatur denunciare illum? Reſp. negat. Tum, quia infamaret ſe ipſum. Tum, quia ſic deciſum eſt in Conſtitutione per hæc verba: „ Verum tamen ab hujuſmodi onere denunciandi, juſtis de cauſis eximi volumus, & eximimus perſonam ipſam pœnitentem dumtaxat in cauſa propria, id eſt, in caſu, quod ſuum peccatum confitens à Confeſſario adigatur ad ſibi manifeſtandum nomen complicis „ in eodem peccato. Nota tamen, quod ſi pœnitens hujuſmodi Confeſſarium denunciat, punietur talis Confeſſarius ut Reus hujus Conſtitutionis. Notentur etiam illa verba, *in cauſa propria*. Si enim Confeſſarius ad magis alliciendum pœnitentem, ut complicem ſibi revelet, dixiſſet ei, quod ita practicatum fuit ab illo cum alijs pœnitentibus, & quod deſideratum effectum conſequutus eſt; vel alia hujuſmodi, quibus pœnitens cognoſceret ipſum contra Conſtitutionem deliquiſſe, tunc tenetur illum denunciare, cum poſsit denunciationem facere ſine mentione ſui peccati, & de complice ipſius, ut de ſe patet.

10. Inquires 3. An debeat denunciari Confeſſarius prædictus interrogans pœnitentem de complice, quando etiam ſi ex imprudencia, ſic pœnitentem interroget, dignoſcitur tamen, quod non eſt ſuſpectus de prava credulitate, vel de mala adhæſione ad praxim reprobatam in Brevi Benedictino, ut licitam? Reſp. negative, & patet in Conſtitutione etiam per hæc verba: „ Quod ſi Confeſſarij de complicis nomine „ perperam interrogantis, abſolutionemque, ni ſibi detegatur, „ denegantis actum contingat ejuſmodi eſſe, ut quamvis imprudens, & malus, ſimplex tamen quidam, & nudus actus „ fuerit, id eſt, ijs circumſtantijs deſtitutus, quæ de prava „ credulitate, vel de mala adhæſione ad praxim in ſæpe dicto „ noſtro Brevi reprobatam, tamquam ad licitam, eundem „ Confeſſarium ſuſpectum reddant; tunc iſtiuſmodi delictum, „ neque denunciationis oneri, neque Sancti Officij prædicti

„ cognitioni ſubjectum erit. Nota tamen, quod hujuſmodi Confeſſarius puniendus eſt ab Ordinatio, ut ibidem patet.

11. Quæres 3. Quid decernat Summus Pontifex in Conſtitutione, *Ad eradicandum?* Reſp. quod prædictum Breve *Suprema*, & præfatam Conſtitutionem *Ubi primum*, extendit ad totam Eccleſiam. Patet per hæc verba: „ Motu proprio, at-
„ que ex certa ſcientia, hujus noſtræ generalis Sanctionis te-
„ nore, ac de Apoſtolicæ poteſtatis noſtræ plenitudine, eaſ-
„ dem præinſertas litteras iterum confirmantes, & roboran-
„ tes, decernimus, & declaramus, memoratam praxim in ſe
„ ipſa, & ubique locorum, ac temporum, Apoſtolica autho-
„ ritate reprobatam, atque damnatam eſſe, & cenſeri debe-
„ re: Nec ulli licitum eſſe contra doctrinam in præfato no-
„ ſtro Brevi contentam docere, ſcribere, aut loqui, eamque
„ impugnare, aut perverſe interpretari, vel ipſi actu contrai-
„ re; ſub pœnis adverſus tuentes, aſſerentes, aut tradentes
„ opiniones ſcandaloſas, pernicioſas, & uti tales â Sede Apo-
„ ſtolica rejectas, & condemnatas, &c. Puto, quod nulla eget expoſitione, cum Summus Pontifex clariſsime loquatur ex Cathedra.

12. Tribus laudatis Conſtitutionibus perſuaſum ſibi habuit Sanctiſsimus Benedictus XIV. ſatis quantum ad preſentem materiam providiſſe, ut ipſe teſtatur in alia Conſtitutione quæ incipit *Apoſtolici Miniſterij*, edita V. Iduus Decemb. 1749. extatque part. 2. Conſtit. Select. ejuſdem, Romæ Typis data anno 1761. fol. 124. nec non tom. 3. Bullarij, pariter ejuſdem, fol. 46. num. 13. Verum cum poſtea Sanctitati ſuæ ab aliquibus Præſulibus inſinuatum fuerit in hujuſmodi methodi executione novis perturbationibus aditum apertum iri, quia cum delictum idem in certis quibuſdam circumſtantijs ad Tribunal Sancti Officij, in alijs vero ad Ordinarij judicium deferendum fore ſtatuiſſet, nemo eſſet, qui in caſibus diſcrepantiæ judicium proferret; & ſubinde, dempto in aliquibus circumſtantijs motu denunciationis eidem Inquiſitionis Officio faciendæ, id ſane ſublatum dici poterat, quo maxime

xime homines â patrando pernicioſo, & profligato delicto retraherentur: Determinat, ſtatuit, & precipit in virtute Sanctæ Obedientiæ omnibus, & ſingulis (Pœnitentibus exceptis in cauſa propria) ut Confeſſarius pœnitentem interrogans de nomine complicis eidemque indicari recuſanti abſolutionem denegans, denuncietur Sanctiſsimæ Inquiſitioni; ſive id feciſſe intellexerint propter adhæſionem prædictæ reprobatæ praxi, aliave de cauſa erroneæ opinionis ſuſpicionem ingerente, ſive id etiam per imprudentiam egiſſe, & per actum præfatis circumſtantijs deſtitutum.

13. Similiter in citata poſtrema Conſtitutione determinat, quod prolato â Dominis Inquiſitoribus judicio ſuper cauſæ pertinentia in caſu dubio, ſi judicaverint cauſam ad Sanctum Officium non pertinere, eo quod Confeſſarius tali pernicioſæ praxi non adhæſerit, neque de ea ſuſpectus fuerit, tunc Reus puniatur ab Ordinario, ut fuſius in præfatis litteris legi poteſt, quæ cum prima editio hujus Opuſculi opere abſoluta fuit, â me perſpectæ non fuerunt; neque præfata volumina ad has noſtras ſolitudines, non niſi ab hinc paucis menſibus tranſactis, pervenerunt.

14. Sapientiſsimi Caſuiſtæ, ſeu Reſolutores caſuum conſcientiæ de Mandato laudati SS. Benedicti XIV. part. 2. caſu 2. menſ. Januari 1754. plane reſolvunt, quod neque Conſtitutio prædicta *Apoſtolici Miniſterij*, neque aliæ præſentem concernentes materiam, hactenus ubique obligant, ſed tantum Regna Portugalliæ, & Algarbiorum, cum ſolum ad horum Archiepiſcopos, & Epiſcopos, ac Tribunali Inquiſitionis hujuſmodi Regnorum peculiariter directe legantur, *nec de eorum, quæ in illis præcepta ſunt* (inquiunt) *ad nos extenſione conſtat.* Verum in his noſtris Ditionibus Hiſpanis aliter loqui, & reſolvere compulſi ſumus, cum omnes quatuor laudatæ Conſtitutiones per propoſita Edicta â Sanctiſsima Inquiſitione publicatæ ſint.

APPENDIX II.

De Congregatione Sancti Officij, & de ejus Decretis, & Declarationibus.

1. NOTA, quod Sixtus V. per Conſtitutionem, quæ incipit *Immenſa æterna Dei,* quindecim erigens Cardinalium Congregationes, primo loco Congregationem pro Inquiſione hæreticæ pravitatis, quæ Sancti Officij dici conſuevit, inſtituit, ſive inſtitutam confirmavit, ut in citata Conſtitutione conſtat, his verbis: Nos quoque confirmamus, & corroboramus, illiusque omnia inſtituta, omneſque, & ſingulas facultates â Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, Cardinalibus ad eam Congregationem pro tempore delectis conceſſam, omnemque authoritatem, & poteſtatem eis communicatam, ſcilicet, inquirendi, citandi, procedendi, ſententiandi, & definiendi in omnibus cauſis, tam hæreſim manifeſtam, quam ſchiſmata, apoſtaſiam â fide, magiam, ſortilegia, divinationes, Sacramentorum abuſus, & quæcumque alia, quæ etiam præſumptam hæreſim ſapere videntur, concernentibus, non ſolum in Urbe, & Senatu temporali Nobis, & huic Sanctæ Sedi ſubjecto, ſed etiam in univerſo terrarum orbe, ubi Chriſtiana viget Religio :: confirmamus. Ita Zegerus Bernardus Van-Eſpen tom. 1. in jus Eccleſiaſticum univerſum, p. 1. tit. 22. cap. 3. num. 20. fol. 135.

2. Inquires 1. An ſoli Cardinales aſsiſtant huic Congregationi? Reſp. ex eodem, quod præter Cardinales, qui illam conſtituunt, aſsiſtunt etiam alij Ordinarij, & inferiores Officiales, qui hoc Sanctiſsimum Tribunal regunt, & adminiſtrant, ex quibus unus, qui Judicis ordinarij partes ſubit, dicitur Commiſſarius Sancti Officij, de Ordine S. P. N. Dominici, huicque in Conciliarium, ſive Aſſeſſorem habet Prælatum, vel Clericum ſecularem, qui Aſſeſſor Sancti Officij vocatur. Præter hos vero aſsiſtunt Fiſcalis, & Notarius, necnon Theologi, & Canonum periti, qui Conſultores Sancti Officij vocan-

cantur, ex diverſis Religionibus, & interdum ex Clero ſeculari aſſumpti, pro libitu Papæ: Et inter Regulares, teſte Cardinali de Luca, apud citatum Van-Eſpen, fixum locum occupant duo Ordinis Dominicani Profeſſores, ſcilicet, Magiſter Generalis Ordinis, & Magiſter Sacri Palacij; ac etiam alter Profeſſor Ordinis S. P. N. Franciſci Minorum Conventualium.

3. Inquires 2. Quibus diebus, & ubi hujuſmodi Congregationes fieri ſoleant, & quæ differentia inter eas interſit? Reſp. ex Van Eſpen citato, & tom. 3. ejuſdem, part. 4. cap. 1. fol. 21. quod heæ Congregationes haberi ſolent feria 3. feria 4. & feria 5. ſed cum hoc diſcrimine, ut Congregationibus, quæ haberi ſolent feria 3. & 4. in Conventu Dominicano prope Eccleſiam Beatæ Mariæ ſuper Minervam, Summus Pontifex non intervenit, ſed ſolum Cardinales, interquos, primùm habetur Congregatio ſecreta, cui Commiſſarius, & Aſſeſſor aſsiſtunt; & poſtquam ſufficiens diſcuſsio facta eſt de negotijs occurrentibus, advocantur Conſultores, eorumque conſilium, ſeu votum expetitur: Et quæ decreta ſic ſunt ab hac Congregatione, eodem die, poſt meridiem, per Aſſeſſorem Sancti Officij referuntur Summo Pontifici. Hacque de cauſa, Decreta hujus Congregationis prodeunt ſub nomine Cardinalium Congregationis Sancti Officij, facta tamen mentione relationis ad Sanctiſsimum, ac etiam votorum Theologorum, & Conſultorum.

4. Congregationibus vero, quæ habentur feria 5. in Palatio Apoſtolico, intervenit Summus Pontifex, atque coram illo tractatur caſus, ſeu negotium, quod ex omnibus illa hebdomada relatis præcipuum videtur, ſive caſus, aut negotia, quæ coram Sanctitate ſua diſcuti merentur; & præter Cardinales, aſsiſtunt etiam Conſultores. Poſtquam autem caſus mature diſcuſſus eſt, & Conſultores relationem abſolvunt, omnes dimmittuntur, Cardinalibus exceptis, & ex iſtorum ſuffragio Summus Pontifex determinationem concludit. Poſtea, ſigno dato, rurſus intrat Aſſeſſor Sancti Officij, cum P. Comiſſario,

&

& Sanctitas ſua eis reſolutionem Congregationis ſignificat. Verum, etſi reſolutiones, & hujus Congregationis Decreta, revera ſint reſolutiones, & Decreta Sancti Officij Inquiſitionis, & ob id â Notario Congregationis ſignentur, tamen quia Papa Congregationi præſidet, non Cardinales, ſed Pontifex dicitur in eis decernens, ſeu declarans, aut ſtatuens, votis Cardinalium, & Conſultorum auditis. Et licet tam Decreta feriæ 3. & feriæ 4. quam Decreta feriæ 5. Decreta Congregationis Sancti Officij ſint, hæc tamen Pontifici potiori juri abſcribi poſſe videntur; nam hæc habentur præſente Papa, & de alijs per Aſſeſſorem fit ad illum relatio.

5. Inquires 3. Quam vim habeant hujuſmodi Decreta? Reſp. quod ſi ſunt Decreta extenſiva, ſeu quæ, ultra jus, aliquid de novo prohibent, & determinant; tunc nullam vim habere videntur in actu ſecundo, niſi conſtet de illis per ſolitam promulgationem. Ratio eſt, quia tunc cenſeri debent ut novæ leges Eccleſiaſticæ, & ad inſtar earum promulgari debent ab habente legitimam authoritatem. Lex enim inſtituitur, dum promulgatur, juxta illud Gratiani ad calcem Canonis 3. & ut obliget, debet ab omnibus intelligi, ut notavit Henricus Zoeſius ad Tit. Digeſtorum de leg. num. 10. neque ſingulos obligat, antequam Communitatem obliget, cum non pro ſingulis, ſed pro Communitate feratur, ut docet Piringh de Conſtitutionibus ſect. 1. §. 4. eſtque maxime inter noſtrates communis opinio, loquendo de quacumque lege humana.

6. Si autem ſermo eſt de Decretis comprehenſivis, & declarativis juris, tunc major difficultas occurrit, & judico quod reſolutio petenda eſt ab illa alia quæſtione, ſcilicet, an declaratio legis, ut vim obtineat, debeat promulgari ad inſtar legis? De quo videri poſſunt Reiffenſtuel in Proœmio ab lib. 1. Decret. §. 8. â num. 129. & Schmalzgrueber etiam lib. 1. Decret. deſſert. proœmiali §. 9. â num. 376. Cum enim declarationes legis contineant meram legis jam præexiſtentis explicationem, huic jam â principio in eſſe, & infuiſſe cenſentur, atque juxta ipſas lex fuit ſemper intelligenda, juxta Gloſ-

ſam

ſam in C. ſicut nobis. V. Reſpondemus de Verb. ſignif. ut diſſerunt citati Authores, loquendo in ſpecie de Declarationibus Cardinalium Congregationum. Sed quia ut lex obliget ab omnibus debet intelligi, ut dictum manet, contrarium docent loquendo in ſpecie de Epiſtolis, Reſcriptis, & Reſponſionibus Pontificum Suarez alios referens lib. 4. de Legib. cap. 14. Bonacina de Legib. diſp. 1. quæſt. 1. punct. 4. num. 12. Caſtro Palaus de Legib. diſp. 1. punct. 10. num. 4. & Cathalani, eos referens, part. 1. de Legib. quæſt. 1. cap. 6. num. 12.

7. Inquires 4. Quid tenendum ſit de Decretis, & Declarationibus, quæ reperiuntur apud Authores, & alias non conſtat de earum legitima promulgatione, neque traduntur in forma authentica? Reſpondeo, quod ſi Decreta, & Declarationes Congregationum Cardinalium non conſtat in forma authentica, extat Decretum Sanctiſsimi Urbani VIII. ann. 1631. incipiens *Cum ſacrat*, in quo mandat Pontifex ejuſmodi Declarationes Indici Librorum prohibitorum inſeri, eiſque adimit omnem vim, & fidem, in, & extra judicium. Et ratio redditur in eodem Decreto, ſcilicet, quod ad Sacræ Congregationis notitiam pervenerit, quam plures ex ejus Declarationibus alteratas, diminutas, & forſam omnino confictas eſſe. Hujus Decreti meminerunt citati Reiffenſtuel, & Schmalzgrueber, atque illud per totum refert Barboſa lib. 1. juris Eccleſiaſtici Univerſi cap. 4. num. 83. & inſinuant Diana, & Machado, apud ipſum, & Engel, & Cardinalis de Luca apud Reiffenſtuel, qui addit ex Fagnano, tom. 1. in monit. ad Lectorem, tunc non conſtare in forma authentica talia Decreta, quando Emminentiſsimi Cardinalis Præfecti, & Secretarij ſubcriptione, ſignoque carent. Loquuntur præfati Authores, nec non relatum Decretum, de Declarationibus, & Decretis Congregationis Sacræ S. Concilij Tridentini; ſed â paritate rationis, eorum doctrina videtur conducere, cæteris paribus, ad intentum.

8. Verum non obſtanti hujus Decreti rigore, ſi prædictæ Declarationes non reddunt ſenſum recedentem â verborum

pro-

proprietate, vel rationi, ac communibus juris Regulis repugnantem, ſive alijs Declarationibus contrarium, vel alias de vitio non ſunt ſuſpecta, tunc Sanchez l. 8. d. 2. num. 10. Salas de ll. tract. 14. q. 67. d. 21. ſect. 12. Diana part. 1. tract. 10. reſol. 29. Pellizarius in Manual. tract. 4. cap. 4. n. 108. & cum illis Schmalzgrueber n. 384. judicant, quod ab illis non eſt in praxi recedendum, ſi Authores, qui eas referunt, ſunt probatæ authoritatis. Credendum enim eſt, eas ex ipſis originalibus, aut ex alio principio authentico, ab illis depromptas eſſe: Neque alio modo de prædicto Decreto juſſu Urbani VIII. apud nos fides habetur. Non diſſentit Reiffenſtuel dicens num. 128. recte procedere judicem, qui Declarationes Sacræ Congregationis, quas invenerit apud aliquem probatum Authorem, ut veras habuerit, & ſequatur, etiam ſi nec à parte allegentur, nec producantur. Idem docet Fagnanus in C. quoniam, num. 59. de Conſt. addens, quod quando de veritate earum nulla ſubeſt probabilis ratio dubitandi, eas ex eo dumtaxat rejicere, quod non afferantur in forma authentica, vix abeſt ab irreverentia, & temeritate.

9. Sed in materia, de qua in preſenti, cum Domini Inquiſitores longe plus, quam alij ſciant, & alias Sanctiſsima Inquiſitio Hiſpanica valde, & per plura, privilegiata ſit à Summis Pontificibus, judicio eorum indubitanter ſtandum eſt: Nec minime dubitandum, quod melius, & præſtantius, ſollertia, & dexteritate reſolvant.

10. At, quia agendo de Confeſſario conſentiente ſolicitationi pœnitentis, duas Declarationes hujus Sacræ Congregationis retuli ſupra diſp. 1. caſu 5. num. 4. & 7. Ex quibus, poſterior, quæ emanavit ann. 1668. ex parte videtur contraria priori emanatæ die 11. Februarij ann. 1661. ſi forte, re bene inſpecta, eam non explicat; & alias Sanctiſsimus Benedictus XIV. in Conſtitutione *Sacramentum Pœnitentiæ* omnes, & ſingulas Declarationes hujus Congregationis an. 1661. confirmat, ejsque robur, & firmitatem adjicit, monitum te volo, me neque in Bullario Magno, neque apud aliquem ex Autho-

thoribus, quos ad manum habeo, repetire potuiſſe relatas Declarationes, ſcilicet, ann. 1661. ordinate, numerice, & ad litteram. Fateor enim, quod ſolum unam, vel alteram legi, præſertim apud Roncaglia, Matthæuci, & Gaſparem â Sancto Nicolao, ex authoritate noſtri Emm. Cozza, ſeu Rmi. Laurentij â Sancto Laurentio.

11. Judico autem, quod quæ ad præſens negotium maxime faciunt ad quinque reduci debent, indicatas in illis verbis Conſtitutionis: *Etiamſi Sacerdos ſit, qui juriſdictione ad abſolutionem valide impertiendam careat, aut ſolicitatio inter Confeſſarium, & pœnitentem mutua fuerit, ſive ſolicitationi pœnitens conſenſerit, ſive conſenſum minime præſtiterit, aut longum tempus poſt ipſam ſolicitationem jam effluxerit, aut ſolicitatio à Confeſſario non pro ſe ipſo, ſed pro alia perſona peracta fuerit.* De alijs autem dubijs in eadem S. Congregatione examinatis, autumo deciſſum fuiſſe, opiniones quæ circa illa verſantur, non carere probabilitate, ut colligitur ex eodem Gaſpare dub. 31. num. 193. & dub. 34. num. 213. Accedit quoque, quod alias Summus Pontifex expreſſam mentionem faceret de eis, ſicut quinque relatas opiniones exprimit, & damnat; nec non Bullam Gregorianam, atque propoſitiones 6. & 7. damnatas â Sanctiſsimo Alexandro VII. die 24. Septembris ann. 1665. refert.

12. Hinc, ut de præfatis duabus Declarationibus ſupra diſp. 1. relatis, cum claritate diſſerere valeamus, duos caſus diſtinguere oportet, ut ibidem non obſcure traditur. Primus ſit, quando Confeſſarius fœminæ illum ſolicitanti, nude, & præciſſe conſentiret, nullomodo illam ex parte ſua ſolicitando. Hoc enim in caſu, non obſtantibus ibi dictis n. 3. etiam Taboada §. 7. num. 102. probabiliter ſuſtinuit hunc Confeſſarium denunciandum non eſſe. Et ex Modernis id ipſum videtur docere Pignatellus tom. 1. Conſ. 104. per hæc verba, quæ refert quoque Paſcuccius in Compendio tom. 2. de Sancto Offic. Inquiſit. pag. mihi 81. col. 2. *Mulieres ſolicitantes ad turpia Confeſſarios, qui illis poſtea præſtant conſenſum, non ſunt cogendæ ad eos denunciandum, ſed ipſarum arbitrio id faciendum re-*

mittitur. Id ipſum docet Ligorius in App. de ſolicit. cap. 3. §. 11. num. 681. Nec diſſentit Ferraris num. 32. qui ultimi poſt Conſtitut. Benedict. ſcripſerunt.

13. Alter caſus ſit, quando Confeſſarius non ſolum fœminæ conſentiret, ſed occaſione ſumpta ex ejus ſolicitatione, aliquomodo illam ad turpia alliceret, & provocaret. Cum enim in hoc caſu interveniret mutua ſolicitatio, ideo loco citato num. 8. judicavi valde difficulter liberari poſſe Confeſſarium metu infamiæ conſentientem fœminæ illum ſolicitanti, ſi verbo, vel opere eam ad turpia allicit ex parte ſua, licet non ſemel legerim, quod Euphrates punct. 24. num. 194. & Delbene dub. 237. ſect. 13. petit. 10. per totam, hunc Confeſſarium liberant; nec non Eſcobar part. 1. quæſt. 4. § 2. n. 33. & PP. Salmanticenſes tract. 21. cap. 4. punct. 6. §. 4. num 53. caſu quo Confeſsio non ſit incepta. Et certe, ſi Confeſſarius aliquomodo fœminam illum ſolicitantem allicit, comprehenſus eſt caſus in illis verbis Benedictinæ: *Aut ſolicitatio inter Confeſſarium, & pœnitentem mutua fuerit.*

14. An autem, caſu quo Confeſſarius ex parte ſua fœminam non alliceret, ſed præciſſe ſolicitationi ejus conſentiret, comprehenderetur hic caſus in illis verbis Gregorianæ: *Aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerint*, ſatis differunt, & variant Authores, ut dictum eſt ibi. Verum aliud eſt quærere, an talis caſus comprehendatur in dictis verbis; & aliud, an fœmina teneatur talem Confeſſarium denunciare. Primum à pluribus docetur ut verius. Secundum vero non eſt ita communiter receptum, & hoc eſt, quod Declaratio Sacræ Congregationis innuere videtur, quatenus reſpondit, denunciationem arbitrio pœnitentium relinquendam eſſe.

15. Faxit Beatiſsima, ac individua Trinitas, ut hucuſque ſcripta cedant in ſui laudem, in animarum profectum, in ſtudioſiorum utilitatem, & in Sacerdotum reverentiam Sacramento Pœnitentiæ debitam.

O. S. C. S. M. E. C. A. R.

INDEX
Diſputationum, Quæſtionum, Caſuum, & Notabilium.

IN PROŒMIO.

REducuntur ad Compendium Conſtitutiones *Sacramentum Pœnitentiæ*; & ejuſdem declarativa: *Apoſtolici muneris*; & prævié obſervatur, in quo ſenſu damnatæ ſint quinque opiniones, quas Santiſsimus in prima Conſtitutione proſcribit, & vulnerat; & alia de Reſervatis, & de jejunio, perfunctorié notantur.

DISPUTATIO I.

DE ſolicitatione ſecundum ſe, de ea, quæ fit in actu Confeſsionis.

Quæſtio 1. An prædicta Conſtitutio Benedictina obliget in his Indiarum Partibus? Pagin. 7.

Quæſtio 2. An hæc Benedictina Conſtitutio ſit odioſa, vel favorabilis? Pag. 9.

Quæſtio 3. Quomodonam ſit hæc Conſtitutio interpretanda? Pag. 11.

Quæſtio 4. Quid ſit ſolicitatio ad inhoneſta, & turpia Dominis Inquiſitoribus denuncianda? Pag. 12.

Quæſtio 5. An in his Conſtitutionibus comprehendantur Interpres, Mandans, & non Sacerdos fingens ſe Confeſſarium, ſi ſolicitent? Pag. 13.

Et præter ibi dicta, lege Conſtit. Sacerdos in æternum Sanctiſſimi Benedicti XII. Maji 1744. in qua, poſtquam ultimo ſuplicio plectendos decernit non promotos ad Presbyteratum Confeſsionem excipientes, addit: *Unam dumtaxat exceptionem, ad effectum mitigandæ pœnæ attendi debere mandamus, ut nimirum, concludenter probetur abſolutionem à Reo minime pro-*

latam fuiſſe; tunc enim concedimus, ut Judex Eccleſiaſticus mitiorem pœnam, pro ſuo arbitrio, & prudentia, delinquenti valeat irrogare.

Quæſtio 6. An ſolicitatio DD. Inquiſitoribus denuncianda debeat eſſe ad præciſſe inhoneſta, an autem ad inhoneſta, & turpia ſimul, & conjunctive? Pag. 17.

Quæſtio 7. An ſit denunciandus Confeſſarius ſolicitans pœnitentem ad alia peccata non inhoneſta, & turpia. Pag. 20. *Vide etiam pro hoc dubio diſp. 4. quæſt. 5. à num. 14.*

Quæſt. 8. An in vi harum Conſtitutionum ſolummodo denunciandus ſit Confeſſarius ſolicitans? Pag. 21.

Quæſtio 9. Quot ſint capita ſolicitationis denunciandæ. P.22.

Quæſtio 10. Quid ſit ſolicitare in actu Confeſsionis. Pag. 27.

Quæſtio 11. An in ſignis, nutibus, & verbis ſolicitationis poſſit dari parvitas materiæ? Pag. 29.

Quæſtio 12. An ſi per verbum, vel ſignum ex ſe leve rationabiliter præſumitur Confeſſarium voluiſſe graviora perpetrare, ſit talis Confeſſarius denuuciandus? Pag. 38.

Caſus 1. De ſolicitatione dubia, & quando denuncianda? P.40.

Caſus 2. An, & quando laudare pulchritudinem pœnitentis ſit ſolicitatio? Pag. 42.

Caſus 3. Quid de Confeſſario verbum turpe ex abrrupto eructante? Pag. 44.

Caſus 4. Quando Zelotypia ſolicitationem arguat? Pag. 46.

Caſus 5. De Confeſſario conſentiente, & de Pœnitente nequeunte denunciare, quin ſe ipſum infamet? Pag. 47.

Caſus 6. De Muliere ſolicitationi conſentiente: Et quid ſi difficultatem habet ad denunciandum? Pag. 53.

Caſus 7. De Confeſſario ſolicitante Pœnitentem, dum cum alio confitetur? Pag. 54.

Caſus 8. De Confeſſario turpiter cognoſcente pœnitentem oppreſſum per ſomnium, artem, vel maleficium? Pag. 55.

Ibidem. De illo qui audit, vel videt Confeſſarium ſolicitare.

Ibidem. Quando collatio doni ſolicitatio præſumatur?

Caſus 9. An petere pecuniam â pœnitente pro victu Amaſiæ,

aut

aut conſulere conjugatæ homicidium Mariti, ſit ſolicitatio? Vel eam inſtruere de turpibus cum Marito excercendis? Pag. 57.

Caſus 10. Agit de ſolicitatione per traditionem Chartæ; de ſolicitante Confeſsionem ſolicitatæ excipiente: Et de ſolicitata in articulo mortis conſtituta. Pag. 59.

Caſus 11. Reſolvitur quod loquutio conditionata non denudat verba turpia â malitia; & differitur, an ſolicitans teneatur denunciare ſe ipſum? Pag. 62.

Caſus 12. An ſolicitata excuſſata maneat ab onere denunciandi, eo quod â Confeſſario, â quo fuit abſoluta, de tali obligatione non fuit monita? Et an hic Confeſſarius etiam ſit denunciandus? Pag. 93.

DISPUTATIO II.

DE ſolicitatione facta immediate ante, vel poſt Confeſsionem: & de ea, quæ fit occaſione, vel prætextu Confeſsionis.

Quæſtio 1. Quid ſit ſolicitare immediate ante, vel poſt Confeſsionem? Pag. 64.

Quæſtio 2. Quid ſit ſolicitare occaſione Cofeſsionis. Pag. 69.

Quæſtio 3. Quid ſit prætextus, & quid ſolicitare prætextu Confeſsionis? Pag. 71.

Caſus 1. Excipere Confeſsionem moribundæ, cum qua Confeſſarius immediate ante peccavit, non eſt ſolicitare immediate ante Confeſsionem. Pag. 73.

Caſus 2. Neque ſolicitare pœnitentem, quæ ſponte propoſitum confitendi mutavit, ſi Confeſsio non fuit inchoata. Et quid, & quando, ſi Confeſsio inchoata fuit. Pag 74.

Caſus 3. Neque pœnitentis Confeſsionem excipere, quæ paulo ante ſolicitata, conſentire noluit. Pag. 75.

Caſus 4. Solicitare fœminam in domo, quam Confeſſarius in Confeſsione cognovit fragilem eſſe, non eſt caſus comprehenſus in Bullis. Pag. 75.

Caſus 5. An, & quando Confeſſarius ſolicitans fœminam, quæ

per aliquot dies generaliter confitetur, ſit denunciandus? Pag. 78.
Caſus 6. Quid de Confeſſario in domo ſolicitante fœminam, cujus Confeſsionem ante excipere noluit, quia erat occupatus? Pag. 79.
Caſus 7. Quid de Confeſſario ſolicitante fœminam, quæ die ſequenti vult confiteri cum illo? Pag. 81.
Caſus 8. Quid de Confeſſario dicente fœminæ, cum qua inhoneſte tractat, vel intendit tractare, ſe excepturum Confeſſionem ejus? Pag. 82.
Caſus 9. De Confeſſario peccante cum fœmina in domo, quæ ex condicto eum vocavit, Confeſsionis prætextu. Pag. 84.
Caſus 10. Diſſerit, an omnis petitio Confeſsionis veram occaſionem conſtituat? Et quid de petitione inſtructionis pro Confeſsione generali facienda? Pag. 85.

DISPUTATIO III.

DE ſolicitatione, quæ extra occaſionem Confeſsionis fit in Confeſsionario, aut loco quocumque ad audiendam Confeſsionem deputato, aut electo, ſimulando ibidem Confeſſionem audire.
Quæſtio 1. Quid ſit Confeſsionarium, quidque locus deputatus, aut electus, ad audiendam Confeſsionem? Pag. 87.
Quæſtio 2. Quid ſit ſimulatio Confeſsionis Sacramentalis? P.89.
Quæſtio 3. An fœmina teneatur denunciare Confeſſarium, qui eam ſolicitavit extra occaſionem Confeſsionis in Confeſsionario, non ſimulando Confeſsionem? Pag. 93.
Caſus 1. Diſſerit quædam practica propoſita à Verricelo. P.98.
Caſus 2. Examinatur, an omnis collocutio objective inhoneſta cum ſimulatione Confeſsionis cõprehendatur in Bulla. P. 100.
Caſus 3. Deſignis requiſitis ut collocutio ſimulatio cenſeatur? Pag. 101.
Caſus 4. Exponitur caſus de quodam Confeſſario, qui abſque ſimulatione Confeſsionis, fœminam in Confeſsionario turpiter cognovit. Notantur aliqua de probabilitate, remiſsive

ad diſp. 4. quæſt. 10. num. 3. Et de praxi S. Officij. P. 102.
Caſus 5. Reſolvitur ſimplicem Sacerdotem ſolicitantem denunciandum eſſe, etiamſi ſolicitatio ſit mutua; aut fœmina conſentiat: Et diſſerit, quid ſit ſolicitatio mutua? Pag. 103.
Caſus 6. Agit de Confeſſario ſolicitante ad lenocinium. P. 114.

DISPUTATIO IV.

DE cauſis excuſantibus â denunciando Confeſſarium ſolicitantem, ac de alijs, quæ convenit Confeſſarium ſcire pro intelligentia hujus materiæ.

Quæſtio 1. An fœmina ſolicitata teneatur denunciare Confeſſarium quando ſolicitatio eſt antiqua, ſeu á die, qua commiſſa fuit, longum tempus effluxit? Pag. 115.
Quæſtio 2. An fœmina ſolicitata poſsit excuſari á denunciando prætextu correctionis fraternæ? Pag 120.
Quæſtio 3. An Pœnitens ſolicitatus poſsit fraternè corrigere ſolicitantem, & ſimul denunciare illum? Pag. 123.
Quæſtio 4. An in aliquo caſu particulari, & rariſsimo, poſsit fœmina ſolicitata excuſari à denunciando prætextu correctionis fraternæ: Vel ſaltem quando Confeſſarius eſt emendatus? Pag. 127.
Quæſtio 5. An Mulier ſolicitata excuſetur à denunciando, quando certo ſcit, Confeſſarium non male ſentire de Sacramento? Pag. 134.
Quæſtio 6. An Confeſſarius excuſetur ab onere imponendi obligationem denunciandi Meretrici aſſerenti eſſe ab alio ſolicitatam? Pag. 142.
Quæſtio 7. An perſona ſolicitata excuſetur â denunciando, quando ex denunciatione timet ſibi, vel ſuis damnum grave? Pag. 144.
Quæſtio 8. An fœmina ſolicitata deobligetur â denunciando, quando phyſice, aut moraliter impedita eſt ad denunciationem faciendam? Pag. 147.
Quæſtio 9. An fœmina ſolicitata excuſetur á denunciando, quando Confeſſarius eſt tam ruſticus, quod crimen ſolici-

tationis, & pœnas pro eo taxatas, ignorat? Pag. 148.

Quæſtio 10. Proponuntur, & reſolvuntur alia dubia de cauſis excuſantibus, & de obligatione monendi pœnitentem, ut denunciet? Et in primis, de ſciente ſolicitationem ſub ſecreto naturali, ibi num. 1. De ſolicitante mortuo, num. 2. Quando caſus eſt probabilis, num. 3. & pro hoc num. vide errata. An peccet mortaliter qui non monet deobligatione denunciandi, num. 4. An maneat excommunicatus, n. 5. Et â quo abſolvi poſsit ſolicitans? num. 6. Pag. 152. & 153.

Quæſtio 11. Proponuntur, & reſolvuntur aliqua dubia de comparitione ſpontanea. Pag. 154. & ultra.

Quæſtio ultima. De captura, & pœnis impoſitis ſolicitantibus: Et pro his vide Decretum Sanctiſsimi Benedicti XIV. incip. *In Generali Congregatione*. Feria 5. die 5. Auguſti 1745. ubi perpetua inhabilitatio inducitur ad celebrandum Sacrificium Miſſæ. Pag. 156. & 57.

Caſus 1. Reſolvitur, quod bona fama Confeſſarij non ſufficit ad eum liberandum â denunciatione. Pag. 157.

Caſus 2. Agit de Subdito, cui Prælatus negat licentiam exeundi ê Monaſterio ad denunciandum. Pag. 158.

Caſus 3. De ſolicitante emendato. Pag. 159.

Caſus 4. De opinione, quam duo, vel tres Viri æſtimati ut docti, in caſu particulari facere poſſunt? Pag. 162.

Caſus 5. De Confeſſario, qui extralocum, & occaſionem Confeſsionis ſolicitat fœminam, quæ cum ipſo vult confiteri. Item, de Confeſſario, qui pœnitenti parat in Confeſsione laqueum. Item, de fœmina ſolicitata ſciente Confeſſarium ſponte comparuiſſe in Sancto Officio. De Confeſſario jam punito propter aliarum ſolicitationes: Et de ſolicitante non infamato. Pag. 168.

Caſus 6. Quando, & qualiter peccent Aſsiſtentes Sententiæ pronunciatæ intra Antra Sanctæ Inquiſitionis, ſi manifeſtant Reum, crimen, &c. Pag. 171.

DIS-

DISPUTATIO V.

DE Varijs, quæ ad pleniorem intelligentiam Conſtitutionis Benedictinæ pertinent. Pag. 172.

Quæſtio 1. De quo peccato turpi debeat intelligi hæc Benedictina Conſtitutio? In eadem pag.

Quæſtio 2. An ceſſante fine hujus Conſtitutionis poſsit Confeſſarius abſolvere ſuum complicem in peccato turpi, extra mortis periculum? Pag. 180.

Quæſtio 3. An Confeſſarius abſolvens complicem turpem abſolvi poſsit ab excommunicatione majori reſervata, quam contraxit, in virtutæ Bullæ Cruciatæ: Et an ſit denunciandus Dominis Inquiſitoribus? Pag. 184.

Quæſtio 4. Proponuntur, & reſolvuntur aliqua dubia, extra articulum mortis. Pag. 187.

Quæſtio 5. Proponuntur, & reſolvuntur aliqua dubia pro articulo mortis. Pag. 191.

Quæſtio ultima. Proponuntur, & reſolvuntur varia dubia de falſo denunciante Confeſſarium innocentem. Pag. 195.

Appendix 1. De Confeſſario nomen complicis à Pœnitentibus exquirente; & de pœnis quibus ob hoc delictum puniri debet. Pag. 197.

Appendix 2. De Congregatione Sancti Officij, & de ejus Decretis, & Declarationibus. Pag. 204.

FINIS.

Coll. 22 1/4"
@ 1½ Br
c140 fig, 217 p.